

ORDO
DIVINI OFFICII RECITANDI
SACRIQUE PERAGENDI

IUXTA CALENDARIUM
ECCLESIAE UNIVERSAE

PRO ANNO DOMINI
2008

Secundum **Breviarii Romani** editionem typicam anni 1961
et **Missalis Romani** editionem typicam anni 1962

*Editio cum integro Codicis rubricarum textu
necnon Variationibus ad libros liturgicos,
qui ante annum 1960 editi sunt,
iisdem rubricis aptandos.*

Ad normam Litterarum Apostolicarum motu proprio datarum

Summorum Pontificum

SS. D. N. BENEDICTI PP. XVI



LIBURNI
Typis Sancti Ferdinandi Regis
MMVII

Danielis Di Sorco cura et studio.
IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR.
© 2007 Typis S. Ferdinandi Regis, Liburni.
daniele.disorco@virgilio.it

LITTERAE APOSTOLICAE

MOTU PROPRIO DATAE

BENEDICTUS PAPA XVI

Summorum Pontificum cura ad hoc tempus usque semper fuit, ut Christi Ecclesia Divinae Maiestati cultum dignum offerret, «ad laudem et gloriam nominis Sui» et «ad utilitatem totius Ecclesiae Suae sanctae».

Ab immemorabili tempore sicut etiam in futurum, principium servandum est «iuxta quod unaquaeque Ecclesia particularis concordare debet cum universali Ecclesia non solum quoad fidei doctrinam et signa sacramentalia, sed etiam quoad usus universaliter acceptos ab apostolica et continua traditione, qui servandi sunt non solum ut errores vitentur, verum etiam ad fidei integritatem tradendam, quia Ecclesiae lex orandi eius legi credendi respondet»¹.

Inter Pontifices qui talem debitam curam adhibuerunt, nomen excellit sancti Gregorii Magni, qui tam fidem catholicam quam thesauros cultus ac culturae a Romanis in saeculis praecedentibus cumulos novis Europae populis transmittendos curavit. Sacrae Liturgiae tam Missae Sacrificii quam Officii Divini formam, uti in Urbe celebrabatur, definiri conservarique iussit. Monachos quoque et moniales maxime fovit, qui sub Regula sancti Benedicti militantes, ubique simul cum Evangelii annuntiatione illam quoque saluberrimam Regulae sententiam vita sua illustrarunt, «ut operi Dei nihil praeponatur» (cap. 43). Tali modo sacra liturgia secundum morem Romanum non solum fidem et pietatem sed et culturam multarum gentium fecundavit. Constat utique liturgiam latinam variis suis formis Ecclesiae in omnibus aetatis christianae saeculis permultos Sanctos in vita spirituali stimulasse atque tot populos in religionis virtute roborasse ac eorundem pietatem fecundasse.

Ut autem Sacra Liturgia hoc munus efficacius expleret, plures alii Romani Pontifices decursu saeculorum peculiarem sollicitudinem impenderunt, inter quos eminet Sanctus Pius V, qui magno cum studio pastoralis, Concilio Tridentino exhortante, totum Ecclesiae cultum innovavit, librorum liturgicorum emendatorum et «ad normam Patrum instauratorum» editionem curavit eosque Ecclesiae latinae usui dedit.

Inter Ritus romani libros liturgicos patet eminere Missale Romanum, quod in romana urbe succrevit, atque succedentibus saeculis gradatim formas assumpsit, quae cum illa in generationibus recentioribus vigente magnam habent similitudinem.

«Quod idem omnino propositum tempore progrediente Pontifices Romani sunt persecuti, cum novas ad aetates accommodaverunt aut ritus librosque liturgicos determinaverunt, ac deinde cum ineunte hoc nostro saeculo amplio iam complexi sunt redintegrationem»². Sic vero egerunt Decessores nostri Clemens VIII, Urbanus VIII, sanctus Pius X³, Benedictus XV, Pius XII et beatus Ioannes XXIII.

Recentioribus autem temporibus, Concilium Vaticanum II desiderium expressit, ut debita observantia et reverentia erga cultum divinum denuo instauraretur ac necessitatibus nostrae aetatis aptaretur. Quo desiderio motus, Decessor noster Summus Pontifex Paulus VI libros liturgicos instauratos et partim innovatos anno 1970 Ecclesiae latinae approbavit; qui ubique terrarum permultas in linguas vulgares conversi, ab Episcopis atque a sacerdotibus et fidelibus libenter recepti sunt. Ioannes Paulus II, tertiam editionem typicam Missalis Romani recognovit. Sic Romani

¹ *Institutio generalis Missalis Romani*, Editio tertia, 2002, 397.

² Ioannes Paulus Pp. II, Litt. ap. *Vicesimus quintus annus* (4 Decembris 1988), 3: AAS 81 (1989), 899.

³ *Ibid.*

Pontifices operati sunt ut «hoc quasi aedificium liturgicum [...] rursus, dignitate splendidum et concinnitate» appareret⁴.

Aliquibus autem in regionibus haud pauci fideles antecedentibus formis liturgicis, quae eorum culturam et spiritum tam profunde imbuerant, tanto amore et affectu adhaeserunt et adhaerere pergunt, ut Summus Pontifex Ioannes Paulus II, horum fidelium pastoralis cura motus, anno 1984 speciali Indulto *Quattuor abhinc annos*, a Congregatione pro Cultu Divino exarato, facultatem concessit utendi Missali Romano a Ioanne XXIII anno 1962 edito; anno autem 1988 Ioannes Paulus II iterum, litteris Apostolicis *Ecclesia Dei* Motu proprio datis, Episcopos exhortatus est ut talem facultatem late et generose in favorem omnium fidelium id petentium adhiberent.

Instantibus precibus horum fidelium iam a Praedecessore Nostro Ioanne Paulo II diu perpensis, auditis etiam a Nobis Patribus Cardinalibus in Concistorio die XXIII mensis martii anni 2006 habito, omnibus mature perpensis, invocato Spiritu Sancto et Dei freti auxilio, praesentibus Litteris Apostolicis decernimus quae sequuntur:

Art. 1. Missale Romanum a Paulo VI promulgatum ordinaria expressio “Legis orandi” Ecclesiae catholicae ritus latini est. Missale autem Romanum a S. Pio V promulgatum et a B. Ioanne XXIII denuo editum habeatur uti extraordinaria expressio eiusdem “Legis orandi” Ecclesiae et ob venerabilem et antiquum eius usum debito gaudeat honore. Hae duae expressiones “legis orandi” Ecclesiae, minime vero inducent in divisionem “legis credendi” Ecclesiae; sunt enim duo usus unici ritus romani.

Proinde Missae Sacrificium, iuxta editionem typicam Missalis Romani a B. Ioanne XXIII anno 1962 promulgatam et numquam abrogatam, uti formam extraordinariam Liturgiae Ecclesiae, celebrare licet. Conditiones vero a documentis antecedentibus *Quattuor abhinc annos* et *Ecclesia Dei* pro usu huius Missalis statuae, substituuntur ut sequitur:

Art. 2. In Missis sine populo celebratis, quilibet sacerdos catholicus ritus latini, sive saecularis sive religiosus, uti potest aut Missali Romano a beato Papa Ioanne XXIII anno 1962 edito, aut Missali Romano a Summo Pontifice Paulo VI anno 1970 promulgato, et quidem qualibet die, excepto Triduo Sacro. Ad talem celebrationem secundum unum alterumve Missale, sacerdos nulla eget licentia, nec Sedis Apostolicae nec Ordinarii sui.

Art. 3. Si communitates Institutorum vitae consecratae atque Societatum vitae apostolicae iuris sive pontificii sive dioecesiani quae in celebratione conventuali seu “communitatis” in oratoriis propriis celebrationem sanctae Missae iuxta editionem Missalis Romani anno 1962 promulgatam habere cupiunt, id eis licet. Si singula communitas aut totum Institutum vel Societas tales celebrationes saepe vel plerumque vel permanentiter perficere vult, res a Superioribus maioribus ad normam iuris et secundum leges et statuta particularia decernatur.

Art. 4. Ad celebrationes sanctae Missae de quibus supra in art. 2 admitti possunt, servatis de iure servandis, etiam christifideles qui sua sponte id petunt.

Art. 5, § 1. In paroeciis, ubi coetus fidelium traditioni liturgicae antecedenti adhaerentium continenter existit, parochus eorum petitiones ad celebrandam sanctam Missam iuxta ritum Missalis Romani anno 1962 editi, libenter suscipiat. Ipse videat ut harmonice concordetur bonum horum fidelium cum ordinaria paroeciae pastoralis cura, sub Episcopi regimine ad normam canonis 392, discordiam vitando et totius Ecclesiae unitatem fovendo.

§ 2. Celebratio secundum Missale B. Ioannis XXIII locum habere potest diebus ferialibus; dominicis autem et festis una etiam celebratio huiusmodi fieri potest.

⁴ S. Pius Pp. X, Litt. Ap. Motu proprio datae *Abhinc duos annos* (23 Octobris 1913): AAS 5 (1913), 449-450; cfr. Ioannes Paulus II, Litt. ap. *Vicesimus quintus annus* (4 Decembris 1988), 3: AAS 81 (1989), 899.

§ 3. Fidelibus seu sacerdotibus id petentibus, parochus celebrationes, hac in forma extraordinaria, permittat etiam in adiunctis peculiaribus, uti sunt matrimonia, exsequiae aut celebrationes occasionales, verbi gratia peregrinationes.

§ 4. Sacerdotes Missali B. Ioannis XXIII utentes, idonei esse debent ac iure non impediti.

§ 5. In ecclesiis, quae non sunt nec paroeciales nec conventuales, Rectoris ecclesiae est concedere licentiam de qua supra.

Art. 6. In Missis iuxta Missale B. Ioannis XXIII celebratis cum populo, Lectiones proclamari possunt etiam lingua vernacula, utendo editionibus ab Apostolica Sede recognitis.

Art. 7. Ubi aliquis coetus fidelium laicorum, de quo in art. 5 § 1 petita a parochus non obtinuerit, de re certiore faciat Episcopum dioecesanum. Episcopus enixe rogatur ut eorum optatum exaudiat. Si ille ad huiusmodi celebrationem providere non potest res ad Pontificiam Commissionem “Ecclesia Dei” referatur.

Art. 8. Episcopus, qui vult providere huiusmodi petitionibus christifidelium laicorum, sed ob varias causas impeditur, rem Pontificiae Commissioni “Ecclesia Dei” committere potest, quae ei consilium et auxilium dabit.

Art. 9, § 1. Parochus item, omnibus bene perpensis, licentiam concedere potest utendi rituali antiquiore in administrandis sacramentis Baptismatis, Matrimonii, Poenitentiae et Unctionis Infirmorum, bono animarum id suadente.

§ 2. Ordinariis autem facultas conceditur celebrandi Confirmationis sacramentum utendo Pontificali Romano antiquo, bono animarum id suadente.

§ 3. Fas est clericis in sacris constitutis uti etiam Breviario Romano a B. Ioanne XXIII anno 1962 promulgato.

Art. 10. Fas est Ordinario loci, si opportunum iudicaverit, paroeciam personalem ad normam canonis 518 pro celebrationibus iuxta formam antiquiorem ritus romani erigere aut rectorem vel cappellanum nominare, servatis de iure servandis.

Art. 11. Pontificia Commissio “Ecclesia Dei” a Ioanne Paulo II anno 1988 erecta⁵, munus suum adimplere pergit.

Quae Commissio formam, officia et normas agendi habeat, quae Romanus Pontifex ipsi attribuere voluerit.

Art. 12. Eadem Commissio, ultra facultates quibus iam gaudet, auctoritatem Sanctae Sedis exercebit, vigilando de observantia et applicatione harum dispositionum.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris Apostolicis Motu proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse et a die decima quarta Septembris huius anni, in festo Exaltationis Sanctae Crucis, servari iubemus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septima mensis Iulii, anno Domini MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

BENEDICTUS PP. XVI

⁵ Cfr Ioannes Paulus Pp. II, Litt. ap. Motu proprio datae *Ecclesia Dei* (2 iulii 1988), 6: AAS 80 (1988), 1498.

DE USU CALENDARIII

S. R. C. Decr. 4031 (13 iun. 1899)

Dubium V. – Sacerdos, qui probabilius iudicat errare Calendarium, tenetur eidem Calendario stare; an proprio inhaerere iudicio quoad Officium, Missam et colorem paramentorum?

Resp. ad V. – *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam. Secus vero, si *evidenter* iudicat Calendarium cum Rubrica pugnare. Cfr. S. R. C. decr. n. 2748, VI, VII.

TABULA TEMPORARIA PRO ANNO DOMINI 2008

Littera dominicalis	f e
Littera Martyrologii ¹	C
Aureus numerus	14
Epacta	22
Cyclus solaris	1
Indictio romana	1
Dominicae post Epiphaniam	1
Dominicae post Pentecosten	28

Festa mobilia

Ss.mi Nominis Iesu	2 ian.
S. Familiae Iesu, Mariae, Ioseph	13 ian.
Dominica in Septuagesima	20 ian.
Dies cinerum	6 feb.
Pascha Resurrectionis	23 mart.
Ascensio Domini	1 maii
Dominica Pentecostes	11 maii
Festum Ss.mae Trinitatis	18 maii
Ss.mi Corporis Christi	22 maii
Ss.mi Cordis Iesu	30 maii
D. N. I. C. Regis	26 oct.
Dominica I Adventus	30 nov.

Dies Rogationum

28, 29, 30 aprilis.

Quatuor anni Tempora

Verna	13, 15, 16 febr.
Aestiva	14, 16, 17 maii
Autumnalis	24, 26, 27 sep.
Hiemalis	17, 19, 20 dec.

Nuptiarum solemnia

Nuptiae solemniter celebrari possunt a die 1^a ianuarii usque ad diem 5 februarii, a die 24 martii ad diem 29 novembris et a die 26 usque ad 31 decembris inclusive.

¹ Adhibenda est *Martyrologii Romani* editio quarta post typicam anno 1956 approbata, cum *Variationibus* ad normam novi codicis rubricarum (pp. 66-70 huius calendarii).

**Festa mobilia in Epiphania Domini, post Evangelium
Missae solemnis, sic praeunantur:**

Novéritis, fratres caríssimi, quod annuente Dei misericórdia, sicut de Nativitate Dómini nostri Iesu Christi gavísi sumus, ita et de Resurrectióne eiusdem Salvatóris nostri gáudium vobis annuntiámus.

Die vigésima ianuárii erit domínica in Septuagésima.

Sexta februárii dies cínerum, et inítium ieiúnii sacratíssimæ Quadragésimæ.

Vigésima tértia mártii sanctum Pascha Dómini nostri Iesu Christi cum gáudio celebrábitis.

Prima máii erit Ascénsio Dómini nostri Iesu Christi.

Undécima eiusdem festum Pentecóstes.

Vigésima secúnda eiusdem festum sacratíssimi Córporis Christi.

Tricésima novémbris domínica prima Advéntus Dómini nostri Iesu Christi, cui est honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

ELENCHUS FESTORUM

**in quibus animarum rectores praeter dies Dominicos
Missam pro populo applicare tenentur**

(S. Congregatio Concilii, die 3 dec. 1960)

- | | |
|---|---|
| <p>1. ✠ Octava Nativitatis Domini</p> <p>2. ✠ Epiphania Domini</p> <p>3. † Purificatio B. M. V.</p> <p>4. † S. Matthiae Apost.</p> <p>5. ✠ S. Ioseph (19 martii)</p> <p>6. † Annuntiatio B. M. V.</p> <p>7. † S. Marci Evang.</p> <p>8. † S. Ioseph Opificis (1 maii)</p> <p>9. † S. Philippi et Iacobi App.</p> <p>10. ✠ Ascensio Domini</p> <p>11. ✠ Ss.mi Corporis Christi</p> <p>12. † Nativitas S. Ioannis Baptistae</p> <p>13. ✠ Ss. Petri et Pauli App.</p> <p>14. † Ss.mi Cordis Iesu</p> <p>15. † Pretios. Sanguinis D. N. I. C.</p> <p>16. † S. Iacobi Apost.</p> <p>17. ✠ Assumptio B. M. V.</p> <p>18. † S. Bartholomaei Apost.</p> <p>19. † Nativitas B. M. V.</p> | <p>20. † S. Matthaei Ap. et Ev.</p> <p>21. † Ded. S. Michaëlis Arc.</p> <p>22. † S. Lucae Evang.</p> <p>23. † Ss. Simonis et Iudae App.</p> <p>24. ✠ Omnium Sanctorum</p> <p>25. † S. Andreae Apost.</p> <p>26. ✠ Conc. Imm. B. M. V.</p> <p>27. † S. Thomae Apost.</p> <p>28. ✠ Nativitas Domini</p> <p>29. † S. Ioannis Ap. et Ev.</p> <p>30. † Festum Patroni princ. nationis</p> <p>31. † Festum Patroni princ. regionis seu provinciae sive eccl. sive civ.</p> <p>32. † Festum Patroni diocesis</p> <p>33. † Anniv. Dedicationis eccl. cath.</p> <p>34. † Festum Patroni princ. loci seu oppidi vel civitatis</p> <p>35. † Anniv. Dedicationis eccl. pr.</p> <p>36. † Titulus eccl. pr.</p> |
|---|---|

LUNATIONES ASTRONOMICAE PRO ANNO 2008

IUXTA TEMPUS MEDIUM EUROPAE CENTRALIS

N. B. In nonnullis Nationibus, tempore quo «hora legali», quam vocant, usurpatur, una hora addenda est.

IANUARIUS	MAIUS	SEPTEMBER
Dies H. M.	Dies H. M.	Dies H. M.
8 L.N. 12 37	5 L.N. 13 18	7 P.Q. 15 04
15 P.Q. 20 45	12 P.Q. 4 47	15 L.P. 10 13
22 L.P. 14 35	20 L.P. 3 11	22 U.Q. 6 04
30 U.Q. 6 03	28 U.Q. 3 56	29 L.N. 9 12
FEBRUARIUS	IUNIUS	OCTOBER
Dies H. M.	Dies H. M.	Dies H. M.
7 L.N. 4 44	3 L.N. 20 23	7 P.Q. 10 04
14 P.Q. 4 33	10 P.Q. 16 04	14 L.P. 21 02
21 L.P. 4 30	18 L.P. 18 30	21 U.Q. 12 55
29 U.Q. 3 18	26 U.Q. 13 10	29 L.N. 00 14
MARTIUS	IULIUS	NOVEMBER
Dies H. M.	Dies H. M.	Dies H. M.
7 L.N. 18 14	3 L.N. 3 19	6 P.Q. 5 03
14 P.Q. 11 46	10 P.Q. 5 35	13 L.P. 7 18
21 L.P. 19 40	18 L.P. 8 59	19 U.Q. 22 31
29 U.Q. 22 47	25 U.Q. 19 41	27 L.N. 17 55
APRILIS	AUGUSTUS	DECEMBER
Dies H. M.	Dies H. M.	Dies H. M.
6 L.N. 4 55	1 L.N. 11 12	5 P.Q. 22 25
12 P.Q. 19 32	8 P.Q. 21 20	12 L.P. 17 37
20 L.P. 11 25	16 L.P. 22 17	19 U.Q. 11 29
28 U.Q. 15 12	24 U.Q. 00 50	27 L.N. 13 22
	30 L.N. 20 58	

L.N. Luna nova.

P.Q. Primus quartus.

L.P. Luna plena.

U.Q. Ultimus quartus.

H. Hora.

M. Minutum.

Annus 2008 respondet anno 6721 Periodi Iulianae, 2761 ab Urbe condita, 5768-5769 aerae Hebraeorum et 1428-1429 Hegyrae.

ECLIPSES

Solis: 1. die 7 februarii (h. 4; m. 54) eclipsis anularis, invisibilis in Italia.

2. die 1 augusti (h. 11; m. 20) eclipsis totalis, visibilis in Italia.

Lunae: 1. die 21 februarii (h. 4; m. 25) eclipsis totalis, visibilis in Italia.

2. die 16 augusti (h. 22; m. 10) eclipsis partialis, invisibilis in Italia.

HORARIUM ASTRONOMICUM
AD DIVINUM OFFICIUM A SOLO RECITANDUM
ET SACRUM PERAGENDUM

IUXTA TEMPUS MEDIUM EUROPAE CENTRALIS

N. B. In nonnullis Nationibus, tempore quo «hora legali», quam vocant, usurpatur, una hora addenda est.

Mensis Dies	Aurora	Mensis Dies	Ortus Solis	Mensis Dies	Oc- casus Solis	Ave Maria Serot.	Mensis Dies	Cre- puscula Serot.
	h. m.		h. m.		h. m.	h. m.		h. m.
Ian. 1	5 45	Ian. 1	7 30	Ian. 1	16 45	17 15	Ian. 13	18 30
Febr. 2	5 30	» 19	7 15	» 14	17 —	17 30	Febr. 2	19 —
» 16	5 15	Febr. 7	7 —	» 27	17 15	17 45	Mart. 9	20 15
» 27	5 —	» 18	6 45	Febr. 9	17 30	18 —	Maii 1	20 45
Mart. 8	4 45	» 28	6 30	» 22	17 45	18 15	Iunii 12	21 45
» 17	4 30	Mart. 10	6 15	Mart. 7	18 —	18 30	Iulii 11	21 30
» 24	4 15	» 18	6 —	» 20	18 15	18 45	Aug. 26	20 30
Apr. 2	4 —	» 27	5 45	Apr. 2	18 30	19 —	Sept. 27	19 30
» 9	3 45	Apr. 4	5 30	» 15	18 45	19 15	Nov. 1	18 30
» 16	3 30	» 13	5 15	» 28	19 —	19 30		
» 25	3 15	» 24	5 —	Maii 11	19 15	19 45		
Maii 2	3 —	Maii 4	4 45	» 24	19 30	20 —		
» 10	2 45	» 18	4 30	Iunii 11	19 45	20 15		
» 19	2 30	Iulii 17	4 45	Iulii 15	19 30	20 —		
» 27	2 15	Aug. 1	5 —	Aug. 1	19 15	19 45		
Iulii 7	2 30	» 16	5 15	» 11	19 —	19 30		
» 19	2 45	» 31	5 30	» 21	18 45	19 15		
» 29	3 —	Sept. 14	5 45	» 31	18 30	19 —		
Aug. 7	3 15	» 29	6 —	Sept. 8	18 15	18 45		
» 16	3 30	Oct. 12	6 15	» 16	18 —	18 30		
» 27	3 45	» 25	6 30	» 24	17 45	18 15		
Sept. 6	4 —	Nov. 6	6 45	Oct. 4	17 30	18 —		
» 17	4 15	» 18	7 —	» 13	17 15	17 45		
Oct. 1	4 30	Dec. 1	7 15	» 22	17 —	17 30		
» 14	4 45	» 19	7 30	Nov. 4	16 45	17 15		
» 28	5 —			» 20	16 30	17 —		
Nov. 10	5 15			Dec. 28	16 45	17 15		
» 24	5 30							
Dec. 13	5 45							

Littera h significat horam, m. minutum.

Meridies semper hora 12; et media nox hora 24.

IEIUNII ET ABSTINENTIAE LEX

A. Iuxta Codicem Iuris Canonici anno 1917 promulgatum.

CAN. 1250 – Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.

CAN. 1251 – § 1. Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine.

§ 2. Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectioe permiscere; nec serotinam refectioem cum prandio permutare.

CAN. 1252 – § 1. Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis.

§ 2. Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in caelum Assumptae,¹ Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini².

§ 3. Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus.

§ 4. Diebus dominicis vel festis de praecepto lex abstinentiae, vel abstinentiae et ieiunii, vel ieiunii tantum cessat, excepto festo tempore Quadragesimae, nec pervigilia anticipantur.

Abstinentia et ieiunium tempore Quadragesimae praescriptum, quod hucusque, iuxta can. 1252 § 4, Sabbato sancto cessabat post meridiem, in posterum cessabit media nocte eiusdem Sabbati sancti (*Decretum Generale S. R. C. quo liturgicus Hebdomadae sanctae Ordo instauratur*, diei 16 novembris anni 1955, tit. III, 10).

CAN. 1253 – His canonibus nihil immutatur de indultis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti approbati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis.

CAN. 1254 – § 1. Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint.

§ 2. Lege ieiunii adstringuntur omnes ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum.

Lex ieiunii et abstinentiae valde temperata per decretum S. Congregationis Concilii (20 dec. 1940), nunc ex parte restauratur ut a prima die Sacr. Quadragesimae et donec aliter provideatur, abstinentia servetur singulis feriis VI; lex vero abstinentiae simul et ieiunii feria IV Cinerum, feria VI Hebdomadae sanctae, pervigiliis Assumptionis B. M. V.³ et Nativitatis D. N. I. C.⁴; tamen indulgens ut diebus abstinentiae simul et ieiunii ova et lactinia etiam mane et vespere ubique sumere liceat (Die 28 Ian. 1949; cfr. A. A. S. 41 [1949] 32-33).

¹ Decreto S. Congregationis Concilii diei 25 Iulii 1957 ieiunium et abstinentia in pervigilio Assumptionis B. M. V. transferuntur ad pervigilium festi Conceptionis Immaculae eiusdem B. M. V. (A. A. S. 49 [1957] 638).

² Ex decreto S. Congregationis Concilii diei 3 dec. 1959 obligatio abstinentiae et ieiunii vigiliae Nativitatis Domini anticipari potest ad diem 23 decembris (A. A. S. 51 [1959] 918).

³ Cfr. nota 1.

⁴ Cfr. nota 2.

B. iuxta Codicem Iuris Canonici anno 1983 promulgatum.

CAN. 1251 – Abstinentia a carnis comestione vel ab alio cibo iuxta conferentiae Episcoporum praescripta, servetur singulis anni sextis feriis, nisi cum aliquo die inter sollemnitates recensito occurrant; abstinentia vero et ieiunium, feria quarta Cinerum et feria sexta in Passione et Morte Domini Nostri Iesu Christi.

CAN. 1252 – Lege abstinentiae tenentur qui decimum quartum aetatis annum expleverint; lege vero ieiunii adstringuntur omnes aetate maiores usque ad annum inceptum sexagesimum. Curent tamen animarum pastores et parentes ut etiam ii qui, ratione minoris aetatis ad legem ieiunii et abstinentiae non tenentur, ad genuinum paenitentiae sensum informantur.

CAN. 1253 – Episcoporum conferentia potest pressius determinare observantiam ieiunii et abstinentiae, necnon alias formas paenitentiae, praesertim opera caritatis et exercitationes pietatis, ex toto vel ex parte pro abstinentia et ieiunio substituere.

TABELLA DIERUM LITURGICORUM

	I cl.	II cl.	III cl.	IV cl.
Dominicae	Adventus Quadragesimae Passionis Paschatis «In albis» Pentecostes	Omnes aliae		
Festa	Quae antea erant «duplicia I cl.»	Quae antea erant «duplicia II cl.» et alia pauca	Quae antea erant «duplicia maiora aut minora» et «simplicia»	
Feriae	IV cinerum Hebdomada sancta	Adventus (17-23 dec.) IV Temporum: – Adventus – Quadragesimae – Septembris	Adventus ante 17 dec. Quadragesimae Passionis	Nativitatis Epiphaniae Septuagesimae Paschatis Ascensionis Per annum
Vigiliae	Nativitas Dñi Pentecostes	Ascensionis Assumptionis Ioannis Baptistae Petri et Pauli App.	Laurentii	
Octavae	Paschatis Pentecostes	Nativitas Dñi		

TABELLA DIERUM LITURGICORUM
SECUNDUM ORDINEM PRAECEDENTIAE DISPOSITA

Dies liturgici I classis

1. Festum Nativitatis Domini, dominica Resurrectionis et dominica Pentecostes (I classis cum octava).
2. Triduum sacrum.
3. Festa Epiphaniae et Ascensionis Domini, Ss.mae Trinitatis, Corporis Christi, Cordis Iesu et Christi Regis.
4. Festa Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. Mariae Virg.
5. Vigilia et dies octavus Nativitatis Domini.
6. Dominicae Adventus, Quadragesimae et Passionis, et dominica in albis.
7. Feriae I classis superius non nominatae, nempe: IV cinerum et II, III et IV Hebdomadae sanctae.
8. Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, quae tamen locum cedit dominicae occurrenti.
9. Vigilia Pentecostes.
10. Dies infra octavas Paschatis et Pentecostes.
11. Festa I classis Ecclesiae universae superius non nominata.
12. Festa I classis *propria*, nempe:
 - 1) Festum Patroni principalis rite constituti: *a)* nationis, *b)* regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis, *c)* dioecesis.
 - 2) Anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis.
 - 3) Festum Patroni principalis rite constituti loci seu oppidi vel civitatis.
 - 4) Festum et anniversarium Dedicationis ecclesiae propriae, aut oratorii publici vel semipublici, quod locum tenet ecclesiae.
 - 5) Titulus ecclesiae propriae.
 - 6) Festum Tituli Ordinis seu Congregationis.
 - 7) Festum Fundatoris canonizati Ordinis seu Congregationis.
 - 8) Festum Patronis principali rite constituti Ordinis seu Congregationis, et provinciae religiosae.
13. Festa *indulta* I classis, primum mobilia, deinde fixa.

Dies liturgici II classis

14. Festa Domini II classis, primum mobilia, deinde fixa.
15. Dominicae II classis.
16. Festa II classis Ecclesiae universae, quae non sunt Domini.
17. Dies infra octavam Nativitatis Domini.
18. Feriae II classis, nempe: Adventus a die 17 ad diem 23 decembris inclusive, et feriae Quatuor Temporum Adventus, Quadragesimae et mensis septembris.
19. Festa *propria* II classis, nempe:
 - 1) Festum Patroni secundarii rite constituti: *a)* nationis, *b)* regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis, *c)* dioecesis, *d)* loci seu oppidi vel civitatis.
 - 2) Festa Sanctorum aut Beatorum, de quibus n. 43 *d*.
 - 3) Festa Sanctorum alicui ecclesiae propria (n. 45 *c*).
 - 4) Festum Fundatoris beatificati Ordinis seu Congregationis (n. 46 *b*).
 - 5) Festum Patroni secundarii rite constituti Ordinis seu Congregationis et provinciae religiosae (n. 46 *d*).
 - 6) Festa Sanctorum aut Beatorum, de quibus n. 46 *e*.
20. Festa *indulta* II classis, primum mobilia, deinde fixa.
21. Vigiliae II classis.

Dies liturgici III classis

22. Ferae Quadragesimae et Passionis, a feria V post cineres usque ad sabbatum ante dominicam II Passionis inclusive, exceptis feriis Quatuor Temporum.
23. Festa III classis, in calendariis particularibus inscripta, et quidem primum festa *propria*, nempe:
 - 1) Festa Sanctorum aut Beatorum, de quibus n. 43 *d*.
 - 2) Festa Beatorum alicui ecclesiae propria (n. 45 *d*).
 - 3) Festa Sanctorum aut Beatorum, de quibus n. 46 *e*; deinde festa *indulta*, primum mobilia, deinde fixa.
24. Festa III classis, in calendario Ecclesiae universae inscripta, primum mobilia, deinde fixa.
25. Ferae Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive, exceptis feriis Quatuor Temporum.
26. Vigilia III classis.

Dies liturgici IV classis

27. Officium sanctae Mariae in sabbato.
28. Ferae IV classis.

TABELLA CONCURRENTIAE

Dominica I classis	1	0	0
Dominica II classis	2	0	0
Feria I classis	1	0	0
Feria II classis	2	0	0
Feria III classis	2	0	0
Feria IV classis	3	0	0
Festum I classis	1	1	1
Festum II classis	3	1	3
Festum III classis	3	3	3
Dies octavae II classis	2	3	0
1 Vesperae de Officio currenti, comm. sequentis.	cum festo I classis	cum dominica II classis	cum dominica I classis
2 Vesperae de Officio sequenti, comm. currentis.			
3 Vesperae de sequenti, nihil de currenti.			

Notanda in tabellas occurrentiae et concurrentiae

1. Festum Domini I aut II classis, in dominica occurrens, locum tenet ipsius dominicae cum omnibus iuribus et privilegiis: de dominica, proinde, nulla fit commemoratio.

2. Si duo festa eiusdem divinae Personae aut duo festa eiusdem Sancti vel Beati simul occurrunt, fit de festo quod in tabella praecedentiae superiorem obtinet locum, et aliud omittitur.

3. Si festum Domini I vel II classis concurrat cum quavis dominica, vel vicissim, Vesperae ordinantur iuxta tabellam concurrentiae, sed nunquam fit commemoratio dominicae concurrentis in Vesperis festi Domini, nec vicissim.

LITTERAE APOSTOLICAE

MOTU PROPRIO DATAE

NOVUM RUBRICARUM BREVIARII ET MISSALIS ROMANI
CORPUS APPROBATUR

IOANNES PAPA XXIII

Rubricarum instructum, quo publicus Ecclesiae cultus ordinatur ac regitur, Apostolica Sedes, inde praesertim a Concilio Tridentino, continenter studuit et pressius definire et perfectius ordinare. Pluribus itaque emendationibus, variationibus et additamentis decursu temporis introductis, totum rubricarum systema abunde succrevit, non semper vero systematico ordine servato, et non sine primitivae perspicuitatis ac simplicitatis detrimento.

Nil proinde mirum quod Decessor Noster, Pius Papa XII, fel. rec., plurium Episcoporum precibus annuens, rubricas Breviarii ac Missalis romani in quibusdam ad simpliciore formam esse redigendas censuerit, quod generali Decreto S. Rituum Congregationis diei 23 Martii anni 1955 fuit peractum.

Anno vero sequenti 1956, cum interim studia praeparatoria pro generali liturgica instauratione maturescerent, idem Decessor Noster Episcoporum mentem explorandam decrevit, circa Breviarii romani liturgicam emendationem. Episcoporum autem responsionibus mature perpensis, quaestionem de generali ac systematica rubricarum Breviarii ac Missalis emendatione aggrediendam esse censuit, eamque peculiari illi commisit virorum peritorum Commissioni, cui generalis instaurationis liturgicae studia demandata fuerant.

Nos autem, postquam, adspirante Deo, Concilium Oecumenicum coadunandum esse decrevimus, quid circa huiusmodi Praedecessoris Nostri inceptum agendum foret, haud semel recogitavimus. Re itaque diu ac mature examinata, in sententiam devenimus, altiora principia, generalem liturgicam instaurationem respicientia, in proximo Concilio Oecumenico Patribus esse proponenda; memoratam vero rubricarum Breviarii ac Missalis emendationem diutius non esse protrahendam.

Harum itaque rubricatum Breviarii ac Missalis romani corpus, a peritis viris S. Rituum Congregationis praeparatum et a praefata Pontificia Commissione pro generali liturgica instauratione diligenter revisum, Nos ipsi, motu proprio et certa scientia, Apostolica Nostra Auctoritate, probandum censuimus, sequentia decernentes:

1. Novum rubricarum Breviarii ac Missalis romani codicem, per tres partes digestum, scilicet: *Rubricae generales, Rubricae generales Breviarii romani, et Rubricae generales Missalis romani* a Sacra Nostra Rituum Congregatione mox evulgandum, inde a die 1 Ianuarii proximi anni 1961, ab omnibus qui ritum romanum sequuntur, servandum esse praecipimus. Qui vero alium ritum latinum observant, quamprimum sive novo rubricarum codici, sive calendario se conformare tenentur, in iis omnibus, quae illi ritui stricte propria non sunt.

2. Eodem die 1 Ianuarii anni 1961 vigere cessant *Rubricae generales* Breviarii et Missalis romani, necnon *Additiones et Variationes* in rubricis Breviarii et Missalis romani, ad normam Bullae Praedecessoris Nostri S. Pii X *Divino afflatu*, quae hucusque his libris praepositas habentur. Pariter vigere cessat Decretum generale S. R. C. diei 23 Martii anni 1955 *De rubricis ad simpliciore formam redigendis*, in hac nova rubricarum redactione assumptum. Abrogantur denique eiusdem S. Congregationis decreta et ad dubia responsiones, quae cum nova hac rubricarum forma non conveniunt.

3. Item statuta, privilegia, indulta et consuetudines cuiuscumque generis, etiam saecularia et immemorabilia, immo specialissima atque individua mentione digna, quae his rubricis obstant, revocantur.

4. Librorum Liturgicorum editores, rite a S Sede approbati et admissi, novas parere possunt editiones Breviarii et Missalis romani, iuxta novum rubricarum codicem dispositas; ad necessariam vero novarum editionum uniformitatem praecavendam, S. Rituum Congregatio peculiare tradat instructiones.

5. In novis Breviarii vel Missalis romani editionibus, omissis rubricarum textibus de quibus n. 2, novarum rubricarum textus praeponantur, Breviario quidem *Rubricae generales et Rubricae generales Breviarii romani*; Missali autem item *Rubricae generales et Rubricae generales Missalis romani*.

6. Omnes denique ad quos spectat quamprimum Calendaria et Propria, sive dioecesana sive religiosa, ad normam et mentem novae redactionis rubricarum et calendarii conformari curent, a S. Rituum Congregatione approbanda.

His itaque firmiter statutis, muneri Nostro Apostolico consentaneum ducimus, nonnulla addere hortamenta.

Nova sane hac rubricarum dispositione, dum ex una parte universus rubricarum Breviarii et Missalis romani instructus in meliorem formam est redactus, clariore ordine digestus et in unicum textum contractus, ex altera parte aliquae quoque introductae sunt peculiare modificationes, quibus Officium divinum paulisper contrahitur. Hoc siquidem quamplurimum Episcoporum erat in votis, intuitu praesertim multorum sacerdotum, qui in dies magis magisque pastoralibus sollicitudinibus operantur. Hos autem et omnes qui Officio divino persolvendo tenentur, paterno hortamur animo, ut si quid in eodem divino Officio breviatur, hoc maiore diligentia ac devotione compensetur. Cum porro lectio

quoque sanctorum Patrum aliquantisper quandoque minuatur, omnes enixe clericos hortamur, ut volumina Patrum, tanta sapientia ac pietate referta, assidue prae manibus legenda ac meditanda teneant.

Quae autem per Nostras has Litteras, motu proprio datas, decrevimus ac statuimus, rata atque firma sunt, contrariis quibuslibet minime obstantibus, peculiarissima quoque et individua mentione dignis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 25 mensis Iulii, anno 1960, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PP. XXII

SACRA RITUUM CONGREGATIO

DECRETUM GENERALE

QUO NOVUS RUBRICARUM BREVIARII
AC MISSALIS ROMANI CODEX PROMULGATUR

Novum rubricarum Breviarii ac Missalis romani codicem, quem Ss. mus Dominus Noster Ioannes Papa XXIII, per Litteras Apostolicas *Rubricarum instructum*, die 25 iulii huius anni motu proprio datas, approbavit et huic S. Congregationi promulgandum mandavit, S. Rituum Congregatio, per hoc Decretum generale, et promulgat et promulgatum esse declarat, in novas Breviarii et Missalis romani editiones inserendum, et ab omnibus ad quos spectat, inde a die 1 ianuarii proximi anni 1961, servandum.

Ut autem libri liturgici qui in usu habentur adhuc adhiberi possint, rubricarum codici adduntur «Variationes» Breviariis et Missalibus necnon Martyrologio aptandis.

Ex aedibus S. Rituum Congregationis, die 26 iulii anni 1960.

✠ Caietanus Card. CICOGNANI, Ep. Tusculanus, *Praefectus*

L. ✠ S.

Henricus Dante, *a secretis*

RUBRICAE GENERALES BREVIARII ET MISSALIS ROMANI

PARS PRIMA

RUBRICAE GENERALES

I – Normae generales

1. Rubricae quae sequuntur ritum romanum respiciunt.
2. Nomine calendarii veniunt tum calendarium in usum Ecclesiae universae, tum calendaria particularia.
3. Rubricae generales quae sequuntur, valent tam pro Breviario quam pro Missali. Ipsi tamen exceptiones dantur per particulares rubricas, quae aliquando in Breviario et in Missali ad normam harum rubricarum redactis occurrunt.

II – De die liturgico in genere

4. Dies liturgicus est dies sanctificatus actionibus liturgicis, praesertim Sacrificio eucharistico et publica Ecclesiae prece, id est Officio divino; et decurrit a media nocte ad mediam noctem.
5. Celebratio diei liturgici decurrit per se a Matutino ad Completorium. Sunt tamen dies solemniore, quorum Officium inchoatur a I Vesperis, die praecedenti.
Habetur denique celebratio liturgica non plena seu sola *commemoratio* in Officio et Missa diei liturgici currentis.
6. Singulis diebus fit aut de dominica, aut de feria, aut de vigilia, aut de festo, aut de octava, iuxta calendarium et praecedentiam dierum liturgicorum.
7. Praecedentia inter singulos dies liturgicos unice per peculiarem tabellam (n. 91) determinatur.
8. Dies liturgici sunt primae, secundae, tertiae aut quartae classis.

III – De dominicis

9. Nomine dominicae intellegitur dies Domini initio cuiusque hebdomadae occurrentis.
10. Dominicae sunt I aut II classis.
11. *Dominicae I classis* sunt:
 - a) I-IV Adventus;
 - b) I-IV Quadragesimae;
 - c) I-II Passionis;
 - d) dominica Resurrectionis seu Paschatis;
 - e) dominica in albis;
 - f) dominica Pentecostes.Dominicae Paschatis et Pentecostes sunt pariter festa I classis cum octava.
12. Omnes aliae dominicae sunt *II classis*.
13. Officium dominicae incipit a I Vesperis, sabbato praecedenti, et explicit post Completorium dominicae.
14. Dominica celebratur suo die, iuxta rubricas. Officium et Missa dominicae impeditae nec anticipantur nec resumuntur.
15. *Dominica I classis*, in occurrentia, festis quibuslibet praefertur.
Festum tamen Immaculae Conceptionis B. Mariae Virg. praefertur occurrenti dominicae Adventus.
Ad concurrentiam vero quod attinet, servetur norma, quae nn. 104-105 traditur.
16. *Dominica II classis*, in occurrentia, festis II classis praefertur.
Attamen:
 - a) festum Domini I aut II classis, in dominica II classis occurrens, locum tenet ipsius dominicae cum omnibus iuribus et privilegiis: de dominica, proinde, nulla fit commemoratio;
 - b) dominica II classis praefertur Commemorationi omnium Fidelium defunctorum.Ad concurrentiam vero quod attinet, servetur norma, quae nn. 104-105 traditur.
17. Dominica excludit, per se, assignationem perpetuam festorum.
Excipiuntur:
 - a) festum Ss.mi Nominis Iesu, celebrandum dominica quae occurrit a die 2 ad 5 ianuarii (secus die 2 ianuarii);
 - b) festum S. Familiae Iesu, Mariae, Ioseph, celebrandum dominica prima post Epiphaniam;
 - c) festum Ss.mae Trinitatis, celebrandum dominica prima post Pentecosten;
 - d) festum D. N. Iesu Christi Regis, celebrandum dominica ultima mensis octobris;

e) festa Domini I classis quae, in calendariis particularibus, dominicae II classis nunc assignantur.

Haec festa locum tenent dominicae occurrentis cum omnibus iuribus et privilegiis: de dominica, proinde, nulla fit commemoratio.

18. Dominicae post Epiphaniam quae, superveniente Septuagesima, impediuntur, transferuntur post dominicam XXIII post Pentecosten, hoc ordine:

a) si dominicae post Pentecosten fuerint 25, dominica XXIV erit quae inscribitur dominica VI post Epiphaniam;

b) si dominicae post Pentecosten fuerint 26, dominica XXIV erit quae inscribitur V post Epiphaniam; et XXV, quae inscribitur VI;

c) si dominicae post Pentecosten fuerint 27, dominica XXIV erit quae inscribitur IV post Epiphaniam; XXV, quae inscribitur V; et XXVI, quae inscribitur VI;

d) si dominicae post Pentecosten fuerint 28, dominica XXIV erit quae inscribitur III post Epiphaniam; XXV, quae inscribitur IV; XXVI, quae inscribitur V; et XXVII quae inscribitur VI.

Ultimo tamen loco semper ponitur ea quae in ordine est XXIV post Pentecosten, omissis, si opus sit, ceteris, quae aliquando locum habere non possunt.

19. Dominica prima mensis ea intellegitur, quae prima occurrit in mense, scilicet a die primo ad septimum mensis; dominica autem ultima, quae diem primum mensis sequentis proxime praecedit.

Item ad computandam primam dominicam mensium augusti, septembris, octobris et novembris, ratione lectionum Scripturae occurrentis, ea dicitur prima dominica mensis, quae cadit a die primo ad septimum mensis.

20. Dominica I Adventus ea est, quae cadit die 30 novembris vel est ipsi proximior.

IV – De feriis

21. Nomine feriae intelleguntur singuli dies hebdomadae, praeter dominicam.

22. Ferae sunt primae, secundae, tertiae aut quartae classis.

23. *Feriae I classis* sunt:

a) feria IV cinerum;

b) omnes feriae Hebdomadae sanctae.

Hae feriae festis quibuslibet praeferunt, et nullam admittunt commemorationem, nisi unam privilegiam.

24. *Feriae II classis* sunt:

a) feriae Adventus a die 17 ad diem 23 decembris;

b) feriae Quatuor Temporum Adventus, Quadragesimae et mensis septembris.

Hae feriae praeferunt festis particularibus II classis; si vero impediuntur, commemorari debent.

25. *Feriae III classis* sunt:

a) feriae Quadragesimae et Passionis, a feria V post cineres usque ad sabbatum ante dominicam II Passionis inclusive, superius non nominatae, quae praeferuntur festis III classis;

b) feriae Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive, superius non nominatae, quae cedunt festis III classis.

Hae feriae, si impediuntur, commemorari debent.

26. Omnes feriae, numeris 23-25 non nominatae, sunt *feriae IV classis*; quae nunquam commemorantur.

27. Officium feriae incipit a Matutino et explicit per se post Completorium; Officium vero sabbati, excepto Officio Sabbati sancti, explicit post Nonam.

V – De vigiliis

28. Nomine vigiliae intellegitur dies liturgicus, qui aliquod festum praecedit, et rationem habet praeparationis ad illud.

Vigilia Paschatis vero, cum non sit dies liturgicus, modo sibi proprio, seu pervigilio, celebratur.

29. Vigiliae sunt primae, secundae aut tertiae classis.

30. *Vigiliae I classis* sunt:

a) vigilia Nativitatis Domini quae, in occurrentia, locum tenet dominicae IV Adventus, de qua, proinde, nulla fit commemoratio;

b) vigilia Pentecostes.

Hae vigiliae festis quibuslibet praeferunt, et nullam admittunt commemorationem.

31. *Vigiliae II classis* sunt:

a) vigilia Ascensionis Domini;

b) vigilia Assumptionis B. Mariae Virg.;

c) vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistae;

d) vigilia Ss. Petri et Pauli Apostolorum.

Hae vigiliae praeferuntur diebus liturgicis III et IV classis; et, si impediuntur, commemorantur, iuxta rubricas.

32. *Vigilia III classis* est vigilia S. Laurentii.

Haec vigilia praefertur diebus liturgicis IV classis; et, si impeditur, commemoratur, iuxta rubricas.

33. Vigilia II aut III classis penitus omittitur, si occurrat in dominica quavis, aut in festo I classis, vel si festum cui praemittitur in alium diem transferri aut ad commemorationem reduci contingat.

34. Officium vigiliae incipit a Matutino et explicit quando initium habet Officium festi subsequenteris.

VI – De festis et calendario

A) De natura et proprietate festorum

35. Nomine festi intellegitur dies liturgicus in quo cultus publicus Ecclesiae peculiari modo ad mysteria Domini recolenda, vel ad B. Mariam Virg., aut Angelos, aut Sanctos vel Beatos venerandos dirigitur.

36. Festa sunt primae, secundae aut tertiae classis.

37. Ratio celebrationis festorum haec est:

a) festa I classis inter dies solemniores adnumerantur, quorum Officium incipit a I Vesperis, die praecedenti;

b) festa II et III classis Officium habent quod per se decurrit a Matutino ad Completorium ipsius diei;

c) festa vero Domini II classis I Vesperas acquirunt, quoties, in occurrentia, locum tenent dominicae II classis.

38. Festa sunt *universalis* aut *particularis*; particularis autem sunt *propria* aut *indulta*.

39. Festa *universalis* ea sunt quae a Sancta Sede in calendario Ecclesiae universae inscribuntur.

Haec festa ab omnibus, qui ritum romanum sequuntur, celebrari debent iuxta rubricas.

40. Festa *particularis* ea sunt quae ex iure aut ex indulto Sanctae Sedis in calendariis particularibus inscribuntur.

Haec festa ab omnibus, qui illo calendario tenentur, celebrari debent, iuxta rubricas, et nonnisi ex speciali Sanctae Sedis indulto e calendario expungi vel gradu mutari possunt.

41. Festa particularis, *ipso iure* in calendario inscribenda, sunt festa propria:

a) cuiusque nationis et regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis (n. 42);

b) cuiusque dioecesis seu territorii ecclesiastici cui praeficitur «Ordinarius loci» (n. 43);

c) cuiusque loci seu oppidi vel civitatis (n. 44);

d) cuiusque ecclesiae aut oratorii publici vel semipublici, quod locum tenet ecclesiae (n. 45);

e) cuiusque Ordinis seu Congregationis (n. 46).

42. Festa propria cuiusque nationis et regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis sunt:

a) festum Patroni principalis rite constituti (I classis);

b) festum Patroni secundarii rite constituti (II classis).

43. Festa propria cuiusque dioecesis seu territorii ecclesiastici cui praeficitur «Ordinarius loci» sunt:

a) festum Patroni principalis rite constituti (I classis);

b) anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis (I classis);

c) festum Patroni secundarii rite constituti (II classis);

d) festa Sanctorum et Beatorum, qui in Martyrologio vel eius Appendice rite sunt inscripti, qui ad dioecesim peculiare habent relationes, ut sunt origines, commorationis longioris, obitus (II vel III classis, aut commemoratio).

44. Festa propria cuiusque loci seu oppidi vel civitatis sunt:

a) festum Patroni principalis rite constituti (I classis);

b) festum Patroni secundarii rite constituti (II classis).

45. Festa propria cuiusque ecclesiae aut oratorii publici vel semipublici, quod locum tenet ecclesiae, sunt:

a) anniversarium Dedicationis, si sint consecrata (I classis);

b) festum Tituli, si sint consecrata aut saltem solemniter benedicta (I classis);

c) festum Sancti, in Martyrologio vel eius Appendice rite descripti, cuius corpus ibi asservatur (II classis);

d) festum Beati, item in Martyrologio vel eius Appendice rite descripti, cuius corpus ibi asservatur (III classis).

46. Festa propria cuiusque Ordinis seu Congregationis sunt:

a) festum Tituli (I classis);

b) festum Fundatoris canonizati (I classis) vel beatificati (II classis);

c) festum Patroni principalis rite constituti totius Ordinis seu Congregationis, in universo Ordine vel Congregatione; aut Patroni principalis item rite constituti cuiusque provinciae religiosae, in singulis provinciis (I classis);

d) festum Patroni secundarii, ut supra (II classis);

e) festa Sanctorum et Beatorum, qui illius Ordinis vel Congregationis sodales fuerunt (II vel III classis, vel commemoratio).

47. Festa particularis *indulta* sunt festa quae, ex indulto Sanctae Sedis, in calendariis particularibus inscribuntur.

B) De calendario et festis in eo inscribendis

48. Calendarium est *universale* aut *particulare* seu proprium.

49. *Calendarium universale* est calendarium in usum Ecclesiae universae, quod Breviario ac Missali romano praeficitur.

50. *Calendarium particulare* seu proprium est dioecesanum aut religiosum; et conficitur inserendo calendario universali festa particularia.

Huiusmodi autem calendarium particulare perpetuum conficiendum est respective ab Ordinario loci aut a supremo religionis Moderatore de consilio sui Capituli vel Consilii generalis, et approbari debet a S. Rituum Congregatione.

51. *Calendarium dioecesanum* habet quaelibet dioecesis et quodlibet aliud territorium ecclesiasticum cui praeficitur «Ordinarius loci».

52. In calendario *dioecesano*, praeter festa universalia, inscribi debent:

- a) festa propria (n. 42) et indulta universae nationi et regioni seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis;
- b) festa propria (n. 43) et indulta universae dioecesi.

53. Super huiusmodi calendario *dioecesano* conficitur:

- a) calendarium cuiusque loci, addendo festa propria (n. 44) et indulta;
- b) calendarium cuiusque ecclesiae aut oratorii, item addendo festa loci propria (n. 44) et indulta, atque festa ipsi ecclesiae propria (n. 45) et indulta;
- c) calendarium Congregationum religiosarum seu Institutorum iuris pontificii, quae ad recitationem divini Officii non obligantur; et Congregationum iuris dioecesanum, addendo festa loci propria (n. 44) et indulta; necnon et alia ipsis propria (nn. 45 et 46) et indulta.

54. *Calendarium religiosum* habent:

- a) Ordines regulares, et Moniales ac Sorores eiusdem Ordinis, necnon Tertiarii eidem aggregati in communi viventes et vota simplicia emittentes;
- b) Congregationes religiosae seu Instituta utriusque sexus, iuris pontificii, et sub regimine unius praesidis generalis constituta, si ad recitationem divini Officii, ex quovis capite, tenentur.

55. In calendario *religioso*, praeter festa universalia, inscribi debent festa propria (n. 46) et indulta ipsi Ordini seu Congregationi.

56. Super huiusmodi calendario *religioso* conficitur:

- a) calendarium cuiusque provinciae religiosae, addendo festa propria (n. 46) et indulta;
- b) calendarium cuiusque ecclesiae aut oratorii, item addendo festa propria (n. 45) et indulta, necnon et alia de quibus numero sequenti: quod calendarium vocatur etiam domus religiosae.

57. In singulis dioecesibus et locis, Religiosi, ii etiam qui alium ritum ac romanum sequuntur, celebrare tenentur, una cum clero dioecesano:

- a) festum Patroni principalis nationis, regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis, dioecesis, loci seu oppidi vel civitatis (I classis);
- b) anniversarium Dedicacionis ecclesiae cathedralis (I classis);
- c) alia festa actu feriata, si quae sint, eodem gradu quo in calendario dioecesano inscribuntur.

58. Religiosi, in celebrandis festis Sanctorum Ordinis seu Congregationis quoad diem et Officium magis proprium, clero dioecesano se conformare tenentur, sicubi iidem Sancti tamquam Patroni principales (n. 57 a) recoluntur.

Item, si festa Sanctorum aut Beatorum alicuius Ordinis seu Congregationis gradu superiore aut Officio magis proprio a clero alicuius dioecesis vel loci celebrantur, ibidem etiam a Religiosis eiusdem Ordinis seu Congregationis eodem gradu superiore aut Officio magis proprio celebrari possunt, dummodo eadem festa, in utroque calendario, eodem die inscripta sint.

C) De festorum die proprio

59. Festa in calendaria iam inducta eo die celebrentur, quo nunc in calendariis inscripta inveniuntur.

60. Pro novis festis *universalibus* inducendis, haec serventur:

- a) festa Sanctorum ordinarie diei natalicio assignentur, diei nempe quo Sanctus aeternae vitae natus est; hoc die ex qualibet causa impedito, eadem festa assignentur diei a S. Sede determinando, qui proinde habebitur tamquam dies quasi natalicius;
- b) pro ceteris festis, dies a S. Sede assignabitur.

61. Pro novis festis *particularibus* inducendis, haec serventur:

- a) festa propria Sanctorum vel Beatorum, ordinarie, diei natalicio assignentur, nisi sit impeditus aut aliter a S. Sede dispositum sit. Festa tamen alicuius loci vel ecclesiae propria, quae etiam in calendario universali vel dioecesano vel religioso gradu quidem inferiore inscribuntur, eodem die celebranda sunt ac in calendario universali vel dioecesano vel religioso;
- b) si dies natalicius ignoretur, festa assignentur, cum approbatione S. Sedis, diei qui, in calendario perpetuo dioecesano vel religioso, sit IV classis;
- c) si vero dies natalicius perpetuo impediatur pro universa dioecesi vel Religione vel ecclesia propria, festa in tali calendario particulari, si sint I vel II classis, assignentur proximiori diei sequenti qui non sit I vel II classis; si sint III classis, assignentur proximiori diei, qui ab aliis festis et Officiis paris aut superioris gradus liber existat;
- d) festa particularia indulta inscribantur in calendario die a S. Sede in concessione assignato.

62. Sancti vel Beati qui in calendario, ex quavis ratione, unico festo inscribuntur, semper simul celebrantur prout in Breviario habetur, quoties eodem gradu sunt colendi, etsi unus aut aliqui eorum sint magis proprii.

Proinde:

a) si unus aut aliqui ex his Sanctis festo I classis essent colendi, fit Officium de his tantum, omissis sociis;

b) si unus aut aliqui ex his Sanctis vel Beatis essent magis proprii et gradu superiore essent colendi, fit integrum Officium de magis propriis, cum commemoratione sociorum.

VII – De octavis

A) De octavis in genere

63. Octava est celebratio summorum festorum per octo dies continuos protracta.

64. Celebrantur tantum octavae Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes, exclusis omnibus aliis, sive in calendario universali sive in calendariis particularibus.

65. Octavae sunt I aut II classis.

B) De octavis I classis

66. Octavae I classis sunt octavae Paschatis et Pentecostes. Dies infra has octavas sunt I classis.

C) De octava II classis

67. Octava II classis est octava Nativitatis Domini. Dies infra octavam sunt II classis; dies autem octavus est I classis.

68. Octava Nativitatis Domini modo peculiari ordinatur, scilicet:

a) die 26 decembris, fit festum S. Stephani Protomart. (II classis);

b) die 27 decembris, fit festum S. Ioannis Ap. et Evang. (II classis);

c) die 28 decembris, fit festum Ss. Innocentium Mart. (II classis);

d) die 29 decembris, fit commemoratio S. Thomae Episcopi et Mart.;

e) die 31 decembris, fit commemoratio S. Silvestri I Papae et Conf.;

f) ex festis particularibus ea tantum admittuntur quae sunt I classis et in honorem Sanctorum qui in calendario universali his diebus inscribuntur, etsi tantum ad modum commemorationis; cetera transferuntur post octavam.

69. De dominica infra octavam Nativitatis Domini, quae scilicet a die 26 ad 31 decembris occurrit, semper fit Officium cum commemoratione festi forte occurrentis, iuxta rubricas, nisi dominica incidat in festum I classis: quo in casu, fit de festo cum commemoratione dominicae.

70. Normae peculiare pro ordinandis Officio et Missa infra octavam Nativitatis Domini inveniuntur in rubricis Breviarii et Missalis.

VIII – De anni temporibus

A) De tempore Adventus

71. Tempus sacri Adventus decurrit a I Vesperis dominicae I Adventus usque ad Nonam inclusive vigiliae Nativitatis Domini.

B) De tempore natalicio

72. Tempus natalicium decurrit a I Vesperis Nativitatis Domini usque ad diem 13 ianuarii inclusive.

Huiusmodi autem temporis spatium comprehendit:

a) tempus Nativitatis, quod decurrit a I Vesperis Nativitatis Domini usque ad Nonam inclusive diei 5 ianuarii;

b) tempus Epiphaniae, quod decurrit a I Vesperis Epiphaniae Domini usque ad diem 13 ianuarii inclusive.

C) De tempore Septuagesimae

73. Tempus Septuagesimae decurrit a I Vesperis dominicae in Septuagesima usque post Completorium feria III hebdomadae Quinquagesimae.

D) *De tempore quadragesimali*

74. Tempus quadragesimale decurrit a Matutino feriae IV cinerum usque ad Missam Vigiliae paschalis exclusive. Huiusmodi autem temporis spatium comprehendit:

a) *tempus Quadragesimae*, quod decurrit a Matutino feriae IV cinerum usque ad Nonam inclusive sabbati ante dominicam I Passionis;

b) *tempus Passionis*, quod decurrit a I Vesperis dominicae I Passionis usque ad Missam Vigiliae paschalis exclusive.

75. Hebdomada a dominica II Passionis seu in palmis usque ad Sabbatum sanctum inclusive dicitur *Hebdomada sancta*; tres autem ultimi dies eiusdem hebdomadae nomine *Tridui sacri* designantur.

E) *De tempore paschali*

76. Tempus paschale decurrit ab initio Missae Vigiliae paschalis usque ad Nonam inclusive sabbati in octava Pentecostes.

Huiusmodi autem temporis spatium comprehendit:

a) *tempus Paschatis*, quod decurrit ab initio Missae Vigiliae paschalis usque ad Nonam inclusive vigiliae Ascensionis Domini;

b) *tempus Ascensionis*, quod decurrit a I Vesperis Ascensionis Domini usque ad Nonam inclusive vigiliae Pentecostes;

c) *octavam Pentecostes*, quae decurrit a Missa vigiliae Pentecostes usque ad Nonam inclusive sabbati sequentis.

F) *De tempore «per annum»*

77. Tempus «per annum» decurrit a die 14 ianuarii usque ad Nonam sabbati ante dominicam in Septuagesima, et a I Vesperis festi Ss.mae Trinitatis, id est dominicae I post Pentecosten, usque ad Nonam inclusive sabbati ante dominicam I Adventus.

IX – De sancta Maria in sabbato

78. In sabbatis, in quibus occurrit Officium de feria IV classis, fit de sancta Maria in sabbato.

79. Officium sanctae Mariae in sabbato incipit a Matutino et explicit post Nonam.

X – De Litanis maioribus et minoribusA) *De Litanis maioribus*

80. Litaniae maiores assignatae sunt diei 25 aprilis; si vero eo die occurrit dominica Paschatis vel feria II post Pascha, transferuntur in sequentem feriam III.

81. De Litanis maioribus nihil fit in Officio, sed tantum in Missa. Earum autem commemoratio non est habenda commemoratio «de Tempore».

82. Iuxta ecclesiarum et locorum condiciones et consuetudines, cuius rei iudex est Ordinarius loci, hoc die fit processio, in qua dicuntur Litaniae Sanctorum (quae tamen non duplicantur) cum suis precibus.

83. Si autem processio fieri nequit, locorum Ordinarii instituant peculiare supplicationes, in quibus dicantur Litaniae Sanctorum et aliae preces in processione fieri solitae.

84. Omnes qui ad recitationem divini Officii obligantur, processioni vero aut aliis peculiaribus supplicationibus, de quibus numero praecedenti, non intersunt, tenentur dicere, hoc die, Litanias Sanctorum cum suis precibus, lingua latina.

85. Si Litaniae Sanctorum cum suis precibus, iuxta locorum consuetudinem, in processione vel aliis peculiaribus supplicationibus, lingua vernacula, una cum fidelibus dicuntur, ii qui ad recitationem divini Officii obligantur, et his supplicationibus rite intersunt, non tenentur has preces lingua latina iterare.

86. Missa de Rogationibus regulariter dicenda est expleta processione, iuxta ea quae in nn. 346-347 statuuntur. Convenit autem ut Missa de Rogationibus dicatur etiam post peculiare supplicationes, quae locum tenent processionis, etsi horis vespertinis peragantur.

B) *De Litanis minoribus*

87. Litaniae minores seu Rogationes, per se, assignantur feriis II, III et IV ante festum Ascensionis Domini.

Ordinariis autem locorum facultas tribuitur eas transferendi ad alios tres dies continuos magis opportunos iuxta regionum diversitatem aut consuetudinem aut necessitate.

88. De Litanii minoribus nihil fit in Officio, sed tantum in Missa quae connectitur cum processione aut aliis peculiaribus supplicationibus.

89. Ad processionem aut alias peculiare supplicationes et Missam aut commemorationem quod attinet, servantur quae supra de Litanii maioribus statuta sunt (nn. 81-83 et 86).

90. Litaniae Sanctorum cum suis precibus, his diebus, dicuntur tantum in processione aut aliis supplicationibus (cfr. n. 85). Proinde, qui ad recitationem divini Officii obligantur, processioni vero aut aliis peculiaribus supplicationibus non intersunt, non tenentur dicere, his diebus, Litanias Sanctorum cum suis precibus.

XI – De praecedentia dierum liturgicorum

91. Praecedentia dierum liturgicorum, sublatis quibuslibet aliis titulis vel normis, unice regitur ex tabellis pp. 14-15 relatis.

XII – De dierum liturgicorum occurrentia

92. *Occurrentia* dicitur occursus duorum vel plurium Officiorum uno eodemque die.

Occurrentia autem dicitur *accidentalis* quando dies liturgicus mobilis et dies liturgicus fixus certis solummodo annorum intervallis simul occurrunt; *perpetua* vero quando duo dies liturgici quotannis simul occurrunt.

93. Effectus occurrentiae est, ut Officium diei liturgici gradus inferioris Officio gradus superioris cedat: quod fieri potest per minus nobilis omissionem, aut commemorationem, aut translationem, aut repositionem prout numeris sequentibus indicatur.

94. Commemoratio die fixo statuta non transfertur vel reponitur cum festo transferendo vel reponendo, sed fit suo die vel omittitur, iuxta rubricas.

XIII – De dierum liturgicorum occurrentia accidentali eorumque translatione

95. Ius translationis in alium diem ob occurrentiam accidentalem cum die liturgico, qui in tabella praecedentiae superiorem obtinet locum, competit solummodo festis I classis. Alia festa, ab Officio gradus superioris accidentaliter impedita, aut commemorantur aut, eo anno, penitus omittuntur, iuxta rubricas.

Si vero duo festa eiusdem Divinae Personae aut duo festa eiusdem Sancti vel Beati simul occurrunt, fit de festo, quod in tabella praecedentiae superiorem obtinet locum et aliud omittitur.

96. Festum I classis impeditum a die qui in tabella praecedentiae superiorem obtinet locum, transfertur in proximum sequentem diem qui non sit I vel II classis.

Attamen:

a) festum Annuntiationis B. Mariae Virg., quando est transferendum post Pascha, transfertur, tamquam in sedem propriam, in feriam II post dominicam in albis;

b) Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, quando occurrit cum dominica, transfertur, tamquam in sedem propriam, in feriam II sequentem.

97. Si *eodem die* plura festa I classis simul occurrant, ipso die celebratur festum, quod in tabella praecedentiae superiorem obtinet locum; et alia transferuntur secundum ordinem quo in eadem tabella praecedentiae inscripta sunt.

98. Item, si plura festa I classis transferri contingat, quae *diebus subsequenter* occurrunt, servetur ordo quo in tabella praecedentiae inscribuntur; in paritate autem Officium prius impeditum praecedit.

99. Festa translata sunt eiusdem gradus ac in sede propria.

XIV – De dierum liturgicorum occurrentia perpetua eorumque repositione

100. Ius repositionis in alium diem, ob occurrentiam perpetuam cum die liturgico, qui in tabella praecedentiae superiorem obtinet locum, competit omnibus festis I et II classis, necnon festis particularibus III classis extra Adventum et Quadragesimam occurrentibus, quae in tota dioecesi vel in toto Ordine seu Congregatione vel in propria ecclesia impediuntur.

Festa autem III classis Ecclesiae universae, in aliquo calendario particulare, et festa III classis dioeceseos vel Ordinis seu Congregationis, in aliquibus tantum ecclesiis perpetuo impedita, perpetuo aut commemorantur aut penitus omittuntur, iuxta rubricas.

101. Festa reponenda, si sint I vel II classis, assignentur proximiori diei sequenti qui non sit I vel II classis; si sint III classis, assignentur proximiori diei sequenti, qui ab aliis Officiis paris aut superioris gradus liber existat.

102. Dies in quem festa perpetuo impedita reposita sunt, habetur tamquam dies proprius, in quo festum repositum celebratur sub eodem gradu ac in sede propria.

XV – De concurrentia dierum liturgicorum

103. Concurrentia dicitur concursus Vesperarum diei liturgici currentis cum I Vesperis diei liturgici subsequentis.

104. In concurrentia praeferuntur Vesperae diei liturgici classis superioris, et alterae commemorantur vel non, iuxta rubricas.

105. Quando vero dies liturgici, quorum Vesperae concurrent, sunt eiusdem classis, dicuntur integrae secundae Vesperae de Officio currenti et fit commemoratio sequentis, iuxta rubricas.

XVI – De commemorationibus

106. Quae hic de commemorationibus statuuntur, valent tam pro Missa quam pro Officio, sive in concurrentia sive in concurrentia.

107. Commemorationes sunt aut *privilegiatae* aut *ordinariae*.

108. Commemorationes *privilegiatae* fiunt in Laudibus et in Vesperis necnon in omnibus Missis; commemorationes vero *ordinariae* fiunt tantum in Laudibus, in Missis conventualibus et in omnibus Missis lectis.

109. Commemorationes *privilegiatae* sunt commemorationes:

- a) de dominica;
- b) de die liturgico I classis;
- c) de diebus infra octavam Nativitatis Domini;
- d) de feriis Quatuor Temporum mensis septembris;
- e) de feriis Adventus, Quadragesimae et Passionis;
- f) de Litanii maioribus, in Missa.

Omnes aliae commemorationes sunt commemorationes *ordinariae*.

110. In Officio et Missa S. Petri semper fit commemoratio S. Pauli, et vicissim. Haec commemoratio dicitur *inseparabilis*; et duae orationes adeo in unam coalescere censentur ut, in numero orationum computando, pro unica habeantur. Proinde:

- a) in *Officio S. Petri aut S. Pauli*, oratio alterius Apostoli additur, ad Laudes et Vesperas, sub unica conclusione, orationi diei, absque antiphona et versu;
- b) in *Missa S. Petri aut S. Pauli*, oratio alterius Apostoli additur, sub unica conclusione, orationi diei;
- c) quoties vero oratio unius Apostoli addenda est *ad modum commemorationis*, huic orationi additur altera immediata, ante omnes alias commemorationes.

111. Ratio admittendi commemorationes haec est:

- a) in diebus liturgicis I classis et in Missis in cantu non conventualibus, nulla admittitur commemoratio, praeter unam privilegiam;
- b) in dominicis II classis, una tantum admittitur commemoratio, scilicet de festo II classis, quae tamen omittitur si commemoratio privilegiata facienda sit;
- c) in aliis diebus liturgicis II classis, una tantum admittitur commemoratio, scilicet aut una privilegiata aut una ordinaria;
- d) in diebus liturgicis III et IV classis, duae tantum admittuntur commemorationes.

112. Ad commemorationes et orationes quod attinet, haec insuper servantur:

- a) Officium, Missa aut commemoratio de aliquo festo vel mysterio unius Divinae Personae excludit commemorationem aut orationem de alio festo vel mysterio eiusdem Divinae personae;
- b) Officium, Missa aut commemoratio de dominica excludit commemorationem aut orationem de festo vel mysterio Domini, et vicissim;
- c) Officium, Missa aut commemoratio de Tempore excludit aliam commemorationem de Tempore;
- d) item, Officium, Missa aut commemoratio de B. Maria Virg. aut de aliquo Sancto vel Beato excludit aliam commemorationem aut orationem in qua eiusdem B. Mariae Virg., vel Sancti aut Beati intercessio imploretur: quod tamen non valet de oratione dominicae vel feriae, in qua fit invocatio eiusdem Sancti.

113. Commemoratio de Tempore fit primo loco. In admittendis et ordinandis aliis commemorationibus, servetur ordo tabellae praecedentiae.

114. Quaelibet commemoratio, quae numerum pro singulis diebus liturgicis statutum superet, omittitur.

XVII – De conclusione orationum

115. Conclusio orationum tam in Missa quam in Officio haec est:

- a) si oratio dirigitur ad Patrem, concluditur: *Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen;*
- b) si oratio dirigitur ad Patrem, sed in eius principio fit mentio Filii, concluditur: *Per eundem Dominum nostrum, etc.* ut supra;
- c) si oratio dirigitur ad Patrem, sed in fine ipsius fit mentio Filii, concluditur: *Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen;*

d) si oratio dirigitur ad Filium, concluditur: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen;*

e) si in oratione facta est mentio Spiritus Sancti, in conclusione dicitur: ... *in unitate eiusdem Spiritus Sancti, etc.*

116. Servandae sunt etiam aliae peculiare conclusiones in libris liturgicis quandoque notatae.

XVIII – De coloribus paramentorum

A) De coloribus paramentorum in genere

117. Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis Officio et Missae diei aut alteri Missae celebrandae, secundum usum Romanae Ecclesiae, quae quinque coloribus uti consuevit: albo, rubro, viridi, violaceo et nigro.

Indulta tamen et consuetudines legitimae circa usum aliorum colorum in suo robore manent.

Sicubi vero in regionibus Missionum, ex probata et originali traditione gentis indigenae, significatio unius vel alterius coloris liturgici Ecclesiae Romanae cum significatione quae illis populis congenita est non congruit, Conferentiae episcopali eiusdem regionis, vel maioris territorii, si ita magis conveniat, facultas datur, ut in locum coloris inepti alium colorem magis aptum substituant; hoc tamen non fiat inconsulta S. Rituum Congregatione.

118. Ad colorem paramentorum in Missis votivis lectis IV classis quod attinet, ea quae n. 323 traduntur, recolantur.

B) De colore albo

119. Colore albo utendum est in *Officio et Missa de Tempore*:

a) a festo Nativitatis Domini usque ad expletum tempus Epiphaniae;

b) a Missa Vigiliae paschalis usque ad Missam vigiliae Pentecostes exclusive.

120. Adhibetur color albus in *Officio et Missa de festis*:

a) Domini, exceptis festis de mysteriis et instrumentis Passionis;

b) B. Mariae Virg., etiam in benedictione et processione candelarum die 2 februarii;

c) Ss. Angelorum;

d) Omnium Sanctorum (1 novembris);

e) Sanctorum non Martyrum;

f) S. Ioannis Ap. et Ev. (27 decembris); Cathedrae S. Petri (22 februarii); Conversionis S. Pauli (25 ianuarii); Nativitatis S. Ioannis Baptistae (24 iunii).

121. Colorem album requirunt *Missae votivae*:

a) quae respondent festis, de quibus numero praecedenti;

b) de D. N. Iesu Christo, summo atque aeterno Sacerdote;

c) de coronatione Summi Pontificis, et de anniversariis Summi Pontificis et Episcopi dioecesani;

d) «Pro Sponsis».

122. Demum adhibetur color albus, feria V Hebdomadae sanctae, in Missa Chrismatis et in Missa in Cena Domini; necnon, a diacono, pro cantu praeconii paschalis et, a celebrante, ad renovationem promissionum baptismatis in Vigilia paschali.

C) De colore rubro

123. Rubro colore utendum est in *Officio et Missa de Tempore* a Missa vigiliae Pentecostes usque ad Nonam sabbati sequentis.

124. Item adhibetur color ruber in *Officio et Missa de festis*:

a) mysteriorum et instrumentorum Passionis Domini;

b) Sanctorum Apostolorum et Evangelistarum, in eorum die natalicio, excepto festo S. Ioannis (27 decembris);

c) Commemorationis S. Pauli Apostoli (30 iunii);

d) Commemorationis omnium Ss. Summorum Pontificum;

e) Sanctorum Martyrum, quorum colitur aut martyrium, aut inventio, aut translatio;

f) Sanctarum Reliquiarum.

125. Colorem rubrum requirunt *Missae votivae*:

a) de Passione Domini;

b) de Spiritu Sancto;

c) de Mysteriis et Sanctis, de quibus numero praecedenti;

d) pro eligendo Summo Pontifice.

126. Demum adhibetur color ruber, dominica II Passionis seu in palmis, ad benedictionem et processionem ramorum.

D) *De colore viridi*

127. Color viridis adhibetur in *Officio et Missa de Tempore*:

- a) a die 14 ianuarii usque ad sabbatum ante Septuagesimam;
- b) a feria II post dominicam I post Pentecosten, usque ad sabbatum ante Adventum.

Excipiuntur feriae Quatuor Temporum mensis septembris et vigiliae II et III classis, extra tempus paschale.

E) *De colore violaceo*

128. Color violaceus adhibetur in *Officio et Missa de Tempore*:

- a) a dominica I Adventus usque ad vigiliam Nativitatis Domini inclusive;
- b) a dominica in Septuagesima usque ad Vigiliam paschalem, exceptis: benedictione et processione ramorum in dominica II Passionis; Missa sive Chrismatis sive in Cena Domini feria V Hebdomadae sanctae; Actione liturgica feria VI in Passione et Morte Domini usque ad Communionem exclusive; necnon cantu praeconii paschalis, pro diacono, et renovatione promissionum baptismatis, pro celebrante, in Vigilia paschali;
- c) in feriis Quatuor Temporum mensis septembris;
- d) in vigiliis II et III classis, extra tempus paschale.

129. *Missae votivae*, quae colorem violaceum requirunt, sunt:

- a) Pro Fidei propagatione;
- b) Pro Ecclesiae defensione;
- c) Pro unitate Ecclesiae;
- d) Tempore belli;
- e) Pro pace;
- f) Pro vitanda mortalitate;
- g) Pro remissionem peccatorum;
- h) Pro peregrinantibus et iter agentibus;
- i) Pro infirmis;
- l) Ad postulandam gratiam bene moriendi;
- m) Pro quacumque necessitate.

130. Adhibetur color violaceus etiam:

- a) ad processionem et Missam in Litanis maioribus et minoribus;
- b) ad benedictionem cinerum;
- c) ad Communionem in Actione liturgica feriae VI in Passione et Morte Domini;
- d) in Missis de Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, quae celebrantur tempore expositionis Ss.mi

Sacramenti pro oratione Quadraginta Horarum.

131. Paramenta *coloris rosacei* adhiberi possunt, dominica III Adventus et dominica IV Quadragesimae, sed in Officio et Missa diei dominici tantum.

F) *De colore nigro*

132. Nigro colore utendum est:

- a) in Actione liturgica feriae VI in Passione et Morte Domini, usque ad Communionem exclusive;
- b) in Officiis ac Missis defunctorum, excepto casu de quo supra, n. 130 d.

XIX – De usu et qualitate paramentorum

133. In Missa, sacerdos celebrans semper utitur planeta seu casula.

134. Episcopus, et alii qui usu Pontificalium gaudent, si solemniter celebrant, planetam induunt super dalmaticam et tunicellam.

Item, planetam super dalmaticam et tunicellam induit Episcopus, etiam in Missa lecta:

- a) in consecratione Episcopi;
- b) in collatione sacrorum Ordinum;
- c) in benedictione Abbatis;
- d) in benedictione Abbatissae;
- e) in benedictione et consecratione Virginum;
- f) in consecratione ecclesiae et altaris.

Attamen Episcopus alique de quibus supra, ex rationabili causa, a sumenda tunicella et dalmatica subter planetam abstinere possunt.

135. Pluviale adhibetur:

- a) in Officio Laudum et Vesperarum, quando solemniter dicitur;
- b) in benedictionibus quae fiunt ad altare;
- c) in processionibus;
- d) in absoluteione super cadaver aut super tumulum;
- e) in Missa pontificali, a presbytero assistente;
- f) ad «orationes solennes» in Actione liturgica feriae VI in Passione et Morte Domini;
- g) in Vigilia paschalis.

136. Cum celebrans utitur pluviali, nunquam adhibet manipulum; et si pluviale haberi non potest, in benedictionibus quae fiunt ad altare, sacerdos stat in alba cum stola, sine planeta et manipulo.

137. Dalmatica et tunicella utuntur diaconus, respective subdiaconus, quando sacerdoti ministrant:

- a) in Missa;
- b) in benedictionibus ad altare;
- c) in processionibus.

Attamen cum sacerdos celebrans stat sine pluviali, etiam ministri stant sine dalmatica et tunicella. Planetae plicatae et stola latior amplius non adhibentur.

PARS SECUNDA

RUBRICAE GENERALES BREVIARII ROMANI

I – Normae generales

138. Horae canonicae Breviarii romani sunt: Matutinum, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae et Completorium.

Ex his Matutinum, Laudes et Vesperae dicuntur *Horae maiores*; Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorium *Horae minores* appellantur. Completorium vero a rubricis plerumque separatim consideratur.

139. Obligatio dicendi divinum Officium comprehendit omnes Horas canonicas cursus quotidiani.

140. Officium divinum absolvitur aut *in choro*, aut *in communi*, aut *a solo*.

Dicitur autem *in choro*, si absolvitur a communitate per leges ecclesiasticas choro obligata; *in communi* vero, si idem fit a communitate, quae choro non est adstricta.

141. Normae quae sequuntur valent tam pro absoluteione divini Officii *in choro* vel *in communi* (etsi fiat a duabus vel tribus personis tantum) quam pro absoluteione *a solo*, nisi aliter expresse caveatur.

II – De tempore dicendi Horas canonicas

142. Horae canonicae Officii divini ordinantur, ex earum constitutione, ad sanctificationem diversarum horarum diei naturalis. Praestat, proinde, sive ad diem revera sanctificandum sive ad ipsas Horas cum fructu spiritualis recitandas, ut in earum absoluteione, tempus servetur quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque Horae canonicae.

143. Attamen ad satisfaciendum obligationi divini Officii recitandi, sufficit ut omnes Horae canonicae intra spatium vigintiquatuor horarum diei dicantur.

144. *Matutinum*, ex iusta causa, horis pomeridianis diei praecedentis anticipare licet, non tamen ante horam quartamdecimam.

145. *Laudes*, cum sint precatio matutina, *in choro* et *in communi* primo mane dicuntur: quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo* facta¹.

146. *Vesperae*, etiam tempore Quadragesimae et Passionis, *in choro* et *in communi*, horis pomeridianis dicuntur: quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo* facta.

147. *Completorium*, ab omnibus qui ad recitationem divini Officii obligantur, praesertim autem in familiis religiosis, valde opportune dicitur tamquam ultima precatio in fine diei, etiam si, ob iustam causam, Matutinum diei sequentis iam anticipatum fuerit.

Hoc in casu, *Pater noster*, alias dicendum post versum *Adiutorium nostrum*, omittitur et eius loco, *in choro* et *in communi*, fit examen conscientiae per rationabile tempus protractum; deinde dicuntur *Confiteor* et reliqua, more solito; quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo* facta.

¹ Laudes non possunt anticipari ne quidem in recitatione «a solo» (*Declaratio S. R. C.*, die 28 dec. 1960).

III – De calendario adhibendo in recitatione divini Officii

148. Officium divinum absolvendum est iuxta calendarium proprium vel, eo deficiente, iuxta calendarium Ecclesiae universae, prout numeris sequentibus indicatur.

149. *Beneficarii* sequi tenentur calendarium suae ecclesiae (n. 53 b).

150. *Clerici dioecesani* sequi debent calendarium ecclesiae vel oratorii cui stabiliter sunt addicti (n. 53 b); vel, si nulli ecclesiae vel oratorio sint stabiliter addicti, aut si extra suam dioecesim diutius versentur, calendarium suae dioecesis, additis festis loci in quo domicilium habeant (n. 44), aut calendarium loci in quo commorantur.

151. *Religiosi* utriusque sexus *choro adstricti* servant calendarium suae domus (n. 56 b); aut, quando choro intersunt in alia domo sui Ordinis, calendarium illius domus in qua actu versantur.

152. *Religiosi* calendarium proprium habentes, sed *choro non adstricti*, servant calendarium suae domus (n. 56 b); aut, si in alia domo suae Congregationis seu Instituti Officium in communi recitant, calendarium illius domus in qua actu versantur.

153. *Religiosi qui calendarium proprium non habent*, servant calendarium suae ecclesiae (n. 53 b), additis tamen festis propriis et indultis.

154. In seminariis et collegiis clericorum dioecesanis, Religiosis commissis, pro absoluteione divini Officii in communi, sive a clericis sive a Religiosis qui una cum clericis Officium in communi dicunt, adhibendum est calendarium loci (n. 53 a), additis festis ecclesiae seminarii vel collegii (n. 45), data insuper facultate adiungendi festa Tituli necnon sancti Fundatoris Religiosorum quibus regimen seminarii commissum est.

155. In seminariis et collegiis clericorum interdioecesanis, regionalibus, nationalibus et internationalibus, pro absoluteione Officii divini in communi, adhibendum est calendarium Ecclesiae universae, additis festis Patroni principalis nationis, regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis, dioecesis, oppidi vel civitatis, anniversario Dedicacionis ecclesiae cathedralis dioecesis et aliis festis actu feriatis, si quae sint, necnon festis ecclesiae seminarii vel collegii (n. 45).

Si autem huiusmodi seminariorum regimen Religiosis commissum sit, calendarium Ecclesiae universae adhibendum est etiam a Religiosis qui una cum clericis Officium in communi absolvunt, data tamen facultate addendi festa Tituli Ordinis seu Congregationis necnon sancti Fundatoris Religiosorum quibus regimen seminarii commissum est.

156. In collegiis et domibus interprovincialibus, nationalibus et internationalibus Religiosorum, pro absoluteione divini Officii in choro vel in communi, adhibendum est calendarium proprium Ordinis seu Congregationis universae (n. 55), additis tantum festis propriae ecclesiae (n. 45) necnon festis de quibus n. 57.

157. Quivis tamen clericus dioecesanus, aut quivis religiosus utriusque sexus, Officio divino quolibet titulo adstrictus, qui Officio participat *in choro* vel *in communi* iuxta aliud calendarium aut alium ritum quam suum, hoc modo suo muneri, quoad hanc partem Officii, satisfacit.

Item cum quis Vesperis votivis alicuius solemnitatis externae participat, suo muneri, quoad hanc partem Officii, satisfacit, dummodo praedictae Vesperae integrae et servatis rubricis celebratae fuerint.

IV – De ordinando divino Officio

A) De ordinando divino Officio in genere

158. De extensione divini Officii pro singulis diebus liturgicis, supra dictum est, numeris scilicet 13, 27, 34, 37.

159. De qualitate divini Officii recitandi, et de ratione sumendi singulas Horarum partes, iuxta dierum liturgicorum diversitatem, infra nn. 165-177 dicetur.

160. Ratio dicendi singulas Horas habetur in Ordinario divini Officii.

161. *Matutinum cum tribus Nocturnis*, scilicet *novem psalmorum cum novem lectionibus* habent:

- a) festa I et II classis;
- b) feriae Tridui sacri;
- c) dies octavus Nativitatis Domini;
- d) Commemoratio omnium Fidelium defunctorum.

162. *Matutinum cum unico Nocturno novem psalmorum et trium lectionum* habent:

- a) dominicae omnes, praeter dominicas Paschatis et Pentecostes;
- b) omnes feriae, exceptis feriis Tridui sacri;
- c) omnes vigiliae;
- d) festa III classis;
- e) dies infra octavam Nativitatis Domini;
- f) Officium sanctae Mariae in sabbato.

163. *Matutinum cum unico Nocturno trium psalmorum et trium lectionum* habent dominicae Paschatis et Pentecostes et dies infra earum octavas.

164. Festa quae non habent I Vesperas et, ob quamlibet causam, iuxta rubricas eas acquirunt, omnia sumunt e II Vesperis, iis tantum exceptis, quae forte pro I Vesperis propria ponuntur.

B) *De Officio dominicali*

165. *Officium dominicale* competit diebus dominicis, in quibus non occurrat festum quod ipsi dominicae praeferatur.

Habent tamen peculiarem ordinationem Officii:

- a) dominicae Paschatis et Pentecostes;
- b) dominica infra octavam Nativitatis Domini.

166. *Officium dominicale* ordinatur hoc modo:

- a) *Ad I Vesperas*: omnia ut in Ordinario et Psalterio, sabbato praecedenti, iis exceptis quae propria assignantur.
- b) *Completorium* subsequens: de sabbato.
- c) *Ad Matutinum*: invitorium et hymnus ut in Ordinario vel Psalterio; antiphonae, psalmi et versus unici Nocturni, ut in Psalterio dominicae; absolutio *Exaudi*, benedictiones *Ille nos*, *Divinum auxilium*, *Per evangelica dicta*; lectiones prima et secunda, cum suis responsoriis, de Scriptura occurrenti (n. 220 a); lectio tertia de homilia in Evangelium diei (n. 220 b); hymnus *Te Deum*, qui omittitur in dominicis Adventus, et a dominica in Septuagesima usque ad dominicam II Passionis; quo in casu, dicitur tertium responsorium.

- d) *Ad Laudes*: antiphonae, nisi propriae assignentur, de Psalterio; psalmi e Psalterio dominicae, e I vel II schemate, iuxta diversitatem temporum (n. 197); capitulum, hymnus et versus, ut in Ordinario vel Psalterio aut Proprio de Tempore; reliqua ut in Proprio de Tempore.

- e) *Ad Primam*: antiphona, nisi propria habeatur, et psalmi e Psalterio de dominica; capitulum et reliqua ut in Ordinario; lectio brevis de Tempore.

- f) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam*: omnia ut in Ordinario et Psalterio, iis exceptis quae propria assignantur.

- g) *Ad II Vesperas*: omnia ut in Ordinario et Psalterio, iis exceptis quae propria assignantur.

- h) *Completorium*: de dominica.

C) *De Officio festivo*

167. *Officium festivum* competit festis I classis; et ordinatur hoc modo:

- a) *Ad I Vesperas*: omnia e Proprio vel Communi.

- b) *Completorium* subsequens: de dominica.

- c) *Ad Matutinum*: omnia e Proprio vel Communi; et dicitur hymnus *Te Deum*.

- d) *Ad Laudes*: omnia e Proprio vel Communi, cum psalmis de dominica, primo loco.

- e) *Ad Primam*: antiphona prima e Laudibus; psalmi 53, 118¹ et 118²; capitulum et reliqua, ut in Ordinario; lectio brevis de Tempore.

- f) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam*: antiphonae secunda, tertia et quinta e Laudibus, per ordinem; psalmi de dominica; reliqua e Proprio vel Communi.

- g) *Ad II Vesperas*: omnia e Proprio vel Communi.

- h) *Completorium*: de dominica.

D) *De Officio semifestivo*

168. *Officium semifestivum* competit festis II classis; et ordinatur hoc modo:

- a) *Ad Matutinum, Laudes et Vesperas*: omnia ut in Officio festivo;

- b) *Ad Primam*: antiphona et psalmi e Psalterio, de currenti hebdomadae die; capitulum et reliqua, ut in Ordinario; lectio brevis de Tempore.

- c) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam*: antiphonae et psalmi e Psalterio de currenti hebdomadae die; reliqua de festo, ut in Proprio vel Communi.

- d) *Completorium*: de dominica.

E) *De Officio ordinario*

169. *Officium ordinarium* competit festis III classis necnon Officio sanctae Mariae in sabbato; et ordinatur hoc modo:

- a) *Ad Matutinum*: invitorium et hymnus e Proprio vel Communi; antiphonae, psalmi et versus unici Nocturni e Psalterio de currenti hebdomadae die, nisi propria aut de Communi assignentur (n. 177); lectiones prima et secunda, cum suis responsoriis, de Scriptura, ut n. 221 a indicatur; Lectio tertia de festo (n. 221 b); et dicitur hymnus *Te Deum*.

- b) *Ad Laudes et ad Vesperas*: antiphonae et psalmi ut in Psalterio de currenti hebdomadae die, nisi propria aut de Communi assignentur (n. 177); reliqua ut in Proprio vel Communi.

- c) *Ad Primam*: antiphona et psalmi e Psalterio de currenti hebdomadae die; capitulum et reliqua, ut in Ordinario; lectio brevis de Tempore.

d) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam*: antiphonae et psalmi ut in Psalterio de currenti hebdomadae die; reliqua de festo, ut in Proprio vel Communi.

e) *Completorium*: de currenti hebdomadae die.

F) *De Officio feriali*

170. *Officium feriale* competit omnibus feriis et vigiliis, exceptis:

a) Triduo sacro;

b) vigilia Nativitatis Domini.

171. *Officium feriale* ordinatur hoc modo:

a) *Ad Matutinum*: invitorium et hymnus e Psalterio vel Ordinario, iuxta diversitatem temporum; antiphonae, psalmi et versus unici Nocturni e Psalterio, de currenti hebdomadae die; *in feriis*, tres lectiones de Scriptura occurrenti vel de homilia in Evangelium diei cum suis responsoriis; *in vigiliis*, tres lectiones propriae de homilia cum responsoriis de feria currenti.

Hymnus *Te Deum* dicitur tantum in feriis temporis natalicii et paschalis; aliis temporibus dicitur tertium responsorium.

b) *Ad Laudes et ad Vesperas*: omnia ut in Psalterio, de currenti hebdomadae die, et in Ordinario, iuxta diversitatem temporum, iis exceptis quae propria assignantur. In feriis, sumitur oratio propria si habeatur, secus de dominica praecedenti, nisi alia assignetur; in vigiliis autem dicitur oratio propria.

c) *Ad Primam*: antiphona, nisi propria assignetur, et psalmi e Psalterio, de currenti hebdomadae die; capitulum et reliqua, ut in Ordinario; lectio brevis de Tempore.

d) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam*: antiphona, nisi propria assignetur, et psalmi e Psalterio de currenti hebdomadae die; capitulum et reliqua, ut in Ordinario, iuxta diversitatem temporum; oratio ut ad Laudes.

e) *Completorium*: de currenti hebdomadae die.

G) *De quibusdam peculiaritatibus in ordinando Officio divino*

172. *In dominicis Paschatis et Pentecostes*, et diebus infra earum octavas, ad Horas minores, dicuntur psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis, scilicet psalmi 53, 118¹ et 118².

173. *In Triduo sacro, in vigilia Nativitatis Domini, et in Officiis defunctorum*, Officium ordinatur iuxta speciales rubricas quae, suis locis, in Breviario inveniuntur.

174. *In festis Domini II classis*, quae in dominicis Septuagesimae, Sexagesimae aut Quinquagesimae occurrant, ad Horas minores sumuntur antiphonae e Laudibus, ut in Officio festivo, retentis tamen, ad Primam, psalmis de dominica, scilicet psalmis 117, 118¹ et 118².

175. *Diebus infra octavam Nativitatis Domini*, liberis a festis Sanctorum, Officium ordinatur hoc modo:

a) *Matutinum* habet novem psalmos cum tribus lectionibus. Invitorium, hymnus, antiphonae et psalmi dicuntur ut in festo Nativitatis; versus, ut in tertio Nocturno festi; tres vero lectiones de Scriptura occurrenti cum suis responsoriis, ut singulis diebus indicatur.

b) *Ad Laudes*: omnia ut in festo Nativitatis Domini.

c) *Ad Horas minores* dicuntur antiphonae et psalmi de die currenti, ut in Psalterio; reliqua ut in festo Nativitatis.

d) *Ad Vesperas*, excepto die 31 decembris, antiphonae et psalmi sumuntur e II Vesperis diei Nativitatis; a capitulo autem fit de octava, ut in festo, nisi faciendum sit de sequenti dominica aut de sequenti festo I classis.

e) *Completorium*: de dominica.

176. *In dominica infra octavam Nativitatis Domini*, Officium ordinatur eodem modo ac aliis diebus infra octavam (n. 175), retentis iis quae propria habentur.

Ad lectiones vero Matutini quod attinet, haec servantur:

a) si dominica die 26, 27 aut 28 decembris occurrit, lectiones prima et secunda, cum suis responsoriis, sumuntur e primo Nocturno diei Nativitatis, modo in n. 221 indicato; tertia vero de homilia in Evangelium diei (n. 220 b);

b) si aliis diebus occurrit, lectiones prima et secunda dicuntur de Scriptura occurrenti, et tertia de homilia in Evangelium diei, ut in Officio dominicali (n. 220).

177. *In festis III classis*, tam universalibus quam particularibus, quae ad certas Horas habent aut antiphonas proprias et psalmos de Communi, aut antiphonas proprias et psalmos specialiter assignatos, servantur rubricae particulares quae, in Breviario, suis locis occurrunt.

V – De diversis Officii partibus

A) De initio et fine Horarum

178. Horae canonicae sive *in choro*, sive *in communi*, sive *a solo*, inchoantur absolute hoc modo:

- a) *Matutinum* a versu *Domine, labia mea aperies*;
- b) *Laudes, Horae minores et Vesperae*, a versu: *Deus, in adiutorium meum intende*;
- c) *Completorium* a versu *Iube, domne (Domine), benedicere*.

179. Item Horae canonicae sive *in choro*, sive *in communi*, sive *a solo*, absolvuntur hoc modo:

- a) *Matutinum* (si a Laudibus separetur), *Laudes, Tertia, Sexta, Nona et Vesperae*: versu *Fidelium animae*;
- b) *Prima*, benedictione *Dominus nos benedicat*;
- c) *Completorium*, benedictione *Benedicat et custodiat*.

180. In Officio Tridui sacri et defunctorum, Horae inchoantur et absolvuntur ut in Breviario notatur. Item, *Matutinum* festi Epiphaniae Domini modo proprio inchoatur.

B) De conclusione Officii

181. Cursus cotidianus divini Officii concluditur, post *Completorium*, antiphona B. Mariae Virg. cum suo versu ac oratione, et cum versu *Divinum auxilium*, exceptis Officiis Tridui sacri et defunctorum.

C) De invitatorio

182. Invitatorium cum psalmo 94, *Venite, exsultemus*, dicitur, modo in Ordinario descripto, in initio *Matutini* cuiusque Officii, exceptis Officiis Tridui sacri, et festi Epiphaniae Domini.

183. In fine invitatorii, tempore paschali, additur *Alleluia*, nisi iam habeatur.

184. Ratio sumendi invitatorium, iuxta diversitatem dierum liturgicorum, habetur supra, ubi agitur de ordinando Officio divino (nn. 165-177).

D) De hymnis

185. Hymni dicuntur in qualibet Hora, loco Ordinario indicato. Omittuntur vero in *Matutino* Epiphaniae Domini, a *Matutino* feriae V in Cena Domini usque ad Nonam sabbati in albis, et in Officio defunctorum.

186. Ad Horas minores et ad *Completorium* semper dicuntur hymni in Ordinario pro iisdem Horis assignati, praeterquam in festo Pentecostes et infra octavam, ad *Tertiam*.

187. Hymni proprii, certis Horis assignati, nunquam ad aliam Horam transferuntur.

188. Quilibet hymnus semper dicitur sub conclusione quae ipsi in Breviario assignatur, exclusa quavis conclusionis mutatione ratione festi vel Temporis.

189. Officium commemoratum nunquam doxologiam propriam inducit in fine hymnorum Officii diei.

E) De antiphonis

190. Antiphonae dicuntur ad omnes Horas ante et post psalmos et cantica, una vel plures iuxta diversitatem Officii et Horarum, ut suis locis indicatur. Omittuntur vero, ad Horas minores et ad *Completorium*: in Triduo sacro, in dominica et per octavam Paschatis, et in Officio defunctorum diei 2 novembris.

191. Antiphonae dicuntur semper integrae ante et post psalmos et cantica, ad omnes Horas, tam maiores quam minores.

Asteriscus, qui post prima antiphonae verba notatur, indicat eoque intonationem esse producendam.

192. Antiphonae propriae certis Horis assignatae, si dici nequeunt, non transferuntur, sed omittuntur.

193. Antiphona ad *Magnificat* in I Vesperis dominicae primae mensis augusti, septembris, octobris et novembris ea est, quae in Breviario ante dominicam primam cuiusque mensis invenitur, et respondet libro sacrae Scripturae in dominica legendo.

194. Ad Vesperas feriae VI, tempore paschali, pro antiphona ad *Magnificat* resumitur antiphona ad *Magnificat* e II Vesperis dominicae praecedentis.

195. In fine antiphonarum, tempore paschali, additur *Alleluia*, nisi iam habeatur. A Septuagesima autem usque ad Sabbatum sanctum, *Alleluia*, si forte in antiphonis occurrat, omittitur.

F) *De psalmis et canticis*

196. Psalmi, ad singulas Horas, sumuntur secundum normas de ordinando Officio iuxta diversitatem dierum liturgicorum (nn. 165-177).

197. Ad Matutinum feriae IV et, singulis hebdomadae diebus, ad Laudes, in Psalterio, duplex ponitur psalmorum schema.

Alterum psalmorum schema adhibetur:

a) in dominicis temporis Septuagesimae, Quadragesimae et Passionis;

b) in omnibus feriis temporis Adventus, Septuagesimae, Quadragesimae et Passionis, Quatuor Temporum septembris, et in vigiliis II et III classis extra tempus paschale.

Reliquis diebus, sumitur primum psalmorum schema.

198. Quando psalmus vel canticum incipit per eadem verba quibus constat antiphona, haec verba omittuntur, et psalmus vel canticum inchoatur ab eo verbo ante quod desinit antiphona, dummodo post antiphonam non sit addendum *Alleluia*.

199. Psalmus, qui in Hora cui specialiter assignatur dici nequit, non transfertur, sed omittitur.

200. Cantica *Benedictus*, *Magnificat* et *Nunc dimittis* dicuntur suo loco, ut in Ordinario indicatur.

201. In fine psalmorum et canticorum, excepto cantico *Benedicite*, dicitur *Gloria Patri*, quod omittitur per Triduum sacrum.

In Officio defunctorum tamen, loco versus *Gloria Patri* dicitur versus *Requiem aeternam*, ut suo loco notatur.

202. Asteriscus in versibus psalmorum et canticorum denotat pausam cantus vel recitationis *in choro* et *in communi* servandam.

G) *De symbolo athanasiano*

203. Symbolum athanasianum dicitur solummodo in festo Ss.mae Trinitatis, ad Primam, expletis psalmis, ante antiphonae repetitionem.

H) *De versibus*

204. Versus dicuntur ad Matutinum post repetitam antiphonam ultimi psalmi cuiusque Nocturni. Ad Laudes vero et ad Vesperas versus dicitur post hymnum; ad Horas minores et ad Completorium post responsorium breve.

205. In Triduo sacro, versus dicitur in singulis Nocturnis et Laudibus tantum; in festo et per octavam Paschatis in solo Nocturno; in Officio defunctorum ad singulos Nocturnos, Laudes et Vesperas, ut suis locis notatur.

206. Tempore paschali versibus additur *Alleluia*, nisi iam habeatur. Excipiuntur versus qui in Ordinario sine *Alleluia* ponuntur.

207. Ratio sumendi versus, iuxta diversitatem Officiorum et Horarum, habetur supra, ubi agitur de ordinando divino Officio (nn. 165-177).

I) *De absolutionibus et benedictionibus ante lectiones*

208. Absolutio et benedictiones dicuntur, ad Matutinum, ante lectiones cuiusque Nocturni, prout in Ordinario indicatur. Omittuntur in Officiis Tridui sacri et defunctorum.

209. In Matutino Officii sanctae Mariae in sabbato ponuntur absolutio et benedictiones propriae; item exstant benedictiones propriae in III Nocturno Matutini Nativitatis Domini.

210. Benedictiones propriae invariables habentur ante lectionem ante lectionem brevem ad Primam et ad Completorium.

L) *De lectionibus ad Matutinum*

I – De lectionibus in genere

211. In fine cuiusque Nocturni dicuntur tres lectiones. Proinde Officia cum tribus Nocturnis habent novem lectiones; Officia vero cum uno Nocturno tres.

212. Nomine «Scripturae occurrentis» designantur lectiones sacrae Scripturae primo vel unico Nocturno assignatae et certo ordine per singulos dies in Proprio de Tempore dispositae.

213. Lectiones de Scriptura occurrenti, si die assignato dici nequeunt, omittuntur, etsi agatur de initiis librorum, excepto initio Epistolae I ad Corinthios, quod, cum die 13 ianuarii occurrit dominica I post Epiphaniam, sabbato praecedenti legitur.

214. Officia commemorata non habent lectionem in Officio diei.

215. Lectiones de Scriptura leguntur cum titulo libri sacri e quo sumuntur, nisi aliter expresse notetur; item lectiones de sermone vel tractatu vel documento pontificio, cum titulo et nomine auctoris; similiter praeponitur nomen auctoris lectionibus de homilia in Evangelium diei.

216. In fine cuiusque lectionis dicitur: *Tu autem, Domine, miserere nobis*, cui respondetur *Deo gratias*: quae conclusio omittitur in Officiis Tridui sacri et defunctorum.

II – De lectionibus Officii trium Nocturnorum

217. Tres lectiones *primi Nocturni* sunt de Scriptura, et quidem:

- a) in *Officio festivo et semifestivo*, aut propriae aut specialiter assignatae aut de Communi;
- b) in *Officiis Tridui sacri*, propriae.

218. Tres lectiones *secundi Nocturni* sunt:

a) in *Officio festivo et semifestivo*, de vita Sancti, aut de sermone vel tractatu diei assignato, ut in Proprio vel in Communi;

Si vero una vel duae tantum lectiones propriae aut assignatae habeantur, numerus ternarius completur lectionibus de Communi.

b) in *Officiis Tridui sacri*, de sermone diei assignato.

219. Tres lectiones *tertii Nocturni* sunt:

- a) in *Officio festivo et semifestivo*, de homilia in Evangelium diei;
- b) in *Officiis Tridui sacri*, de Epistolis B. Pauli Apostoli, ut in Proprio.

III – De lectionibus Officii unius Nocturni

220. In *Officio dominicali*, ordo trium lectionum hic est:

a) *Lectio prima et secunda* dicuntur de Scriptura occurrenti, ut in Proprio. Prima autem lectio Sacrae Scripturae ea est, quae in Breviario nunc ut prima notatur; altera vero efficitur ex secunda et tertia in unam coniunctis, omisso responsorio intermedio.

b) *Lectio tertia* dicitur de homilia in Evangelium diei; et sumitur ea quae nunc in Breviario ponitur tamquam prima tertii Nocturni.

221. In *Officio ordinario*, ordo trium lectionum hic est:

a) *Lectio prima et secunda* dicuntur de Scriptura; et quidem ordinarie de Scriptura occurrenti, nisi propriae vel specialiter assignatae habeantur.

Prima autem Lectio Sacrae Scripturae ea est, quae in Breviario ut prima notatur; altera vero efficitur ex secunda et tertia in unam coniunctis, omisso responsorio intermedio.

b) *Lectio tertia* dicitur de festo, scilicet propria, quae antea communiter vocabatur «contracta»; qua deficiente, dicuntur lectiones propriae (olim secundi Nocturni) simul coniunctae. Si vero festum careat lectionibus propriis, pro tertia lectione sumitur quarta de Commune.

222. In *Officio feriali*, ordo trium lectionum hic est:

a) si agitur de Officio *vigiliae* vel *feriae cum homilia*, tres lectiones dicuntur de homilia in Evangelium diei;

b) si agitur de Officio *feriae sine homilia*, leguntur tres lectiones de Scriptura occurrenti, prout in Breviario exhibentur.

IV – De quibusdam peculiaritatibus circa lectiones

223. Lectiones Officii defunctorum modo proprio ordinantur, ut suis locis notatur.

224. Per octavas Paschatis et Pentecostes dicuntur tres lectiones de homilia in Evangelium diei.

225. Superveniente dominica in Septuagesima, lectiones dominicis et feriis post Epiphaniam assignatae, quae locum habere non possunt, eo anno penitus omittuntur. Idem valet de lectionibus dominicarum post Pentecosten, et de lectionibus feriarum, easdem dominicas sequentium, quae impediuntur superveniente prima dominica mensis augusti; necnon de lectionibus mensium augusti, septembris, octobris et novembris quae impediuntur superveniente prima dominica mensis sequentis, vel prima dominica Adventus.

M) De responsoriis post lectiones ad Matutinum

I – De responsoriis in genere

226. Post quamlibet lectionem dicitur responsorium, praeterquam post ultimam, quando dicendus est hymnus *Te Deum*.

227. Responsoria adeo cum lectionibus connectuntur, ut eadem ratione ac lectiones sumenda sint, nisi aliter expresse caveatur.

228. Responsoria quae suo die dici nequeunt, non transferuntur, sed omittuntur.

229. Tempore paschali, in fine cuiuslibet responsorii, ante versum, additur *Alleluia*, nisi iam habeatur; minime vero additur *Alleluia* post versum.

230. In fine ultimi responsorii cuiusque Nocturni, post repetitam ultimam partem responsorii, dicitur *Gloria Patri*, et deinde iterum resumitur eadem ultima pars responsorii, nisi suo loco aliter notetur.

Attamen, in Officio temporis Passionis, in ultimo responsorio cuiusque Nocturni omittitur *Gloria Patri*, et eius loco resumitur integrum responsorium ab initio usque ad versum exclusive.

In Officio defunctorum autem, loco *Gloria Patri*, in ultimo responsorio cuiusque Nocturni, dicitur *Requiem aeternam*.

231. Peculiaritates in dicendis responsoriis forte occurrentes, suis locis indicantur.

II – De responsoriis in Officiis trium Nocturnorum

232. Responsoria *trium Nocturnorum* hac ratione ordinantur:

- a) in *Officio festivo et semifestivo*, dicuntur propria aut de Communi;
- b) in *Officiis Tridui sacri*, dicuntur propria.

III – De responsoriis in Officiis unius Nocturni

233. In *Officio dominicali*, responsoria hoc modo ordinantur:

- a) primum, est responsorium quod ponitur post primam lectionem;
- b) secundum, est responsorium quod post tertiam lectionem olim inveniebatur. In fine huius responsorii omittitur *Gloria Patri* et repetitio ultimae partis responsorii, quando dicendum est tertium responsorium;
- c) tertium, quando dicendum occurrit, est responsorium quod post tertiam lectionem de homilia exstabat.

234. In *Officio ordinario* cum lectionibus de Scriptura occurrenti, responsoria hoc modo ordinantur:

- a) primum, est responsorium quod ponitur post primam lectionem;
- b) secundum, est responsorium quod post tertiam lectionem invenitur.

235. In *Officio ordinario* cum lectionibus de Scriptura propriis vel specialiter assignatis, responsoria dicuntur propria aut de Communi, eodem ordine ac supra (n. 234).

236. In *Officio feriali*, sive fiat de feria sive de vigilia, dicuntur responsoria de feria currenti, prout habentur in Proprio de Tempore.

N) De hymno Te Deum

237. Hymnus *Te Deum* dicitur ad Matutinum, post ultimam lectionem, loco noni vel tertii responsorii:

- a) in dominica in albis, in dominica Pentecostes, et in Matutino dominicae Resurrectionis, quod recitatur ab iis qui Vigiliae paschali non interfuerunt;
- b) in dominicis II classis, exceptis dominicis in Septuagesima, in Sexagesima et in Quinquagesima;
- c) in omnibus festis;
- d) per octavas Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes;
- e) in Officio feriali temporis natalicii et temporis paschalis;
- f) in vigiliis Ascensionis et Pentecostes;
- g) in Officio sanctae Mariae in sabbato.

238. Omittitur vero hymnus *Te Deum*:

- a) in Officiis de Tempore a dominica I Adventus usque ad vigiliam Nativitatis Domini inclusive; et a dominica in Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum inclusive;
- b) in vigiliis II et III classis, excepta vigilia Ascensionis Domini;
- c) in omnibus feriis per annum;
- d) in Officio defunctorum.

239. Quando hymnus *Te Deum* omittitur, eius loco dicitur nonum vel tertium responsorium.

O) De capitulis, et de lectione brevi ad Primam

240. Capitulum dicitur ad omnes Horas, Matutino excepto, expletis psalmis cum suis antiphonis; ad Completorium autem post hymnum. Omittitur a Laudibus feriae V in Cena Domini usque ad Nonam sabbati in albis et in Officio defunctorum.

241. Ad Primam semper dicitur capitulum *Regi saeculorum*; et ad Completorium *Tu autem in nobis*. Ad alias Horas sumitur ex Ordinario vel Psalterio, e Proprio vel Communi, iuxta Officiorum diversitatem (nn. 165-177).

242. Lectio brevis ad Primam dicitur semper de Tempore, prout in Ordinario.

P) *De responsoriis brevibus Horarum minorum*

243. Responsoria brevia dicuntur ad Horas minores et ad Completorium post capitulum; omittuntur vero a feria V in Cena Domini usque ad Nonam sabbati in albis, et in Officio defunctorum.

244. Ad Primam, in responsorio *Christe, Fili Dei vivi*, versus *Qui sedes* mutatur iis in Officiis et anni temporibus pro quibus proprius assignatur; nunquam tamen dicitur versus proprius festi commemorati.

Responsorium breve Completorii nunquam mutatur. Ad Tertiam, Sextam et Nonam responsoria brevia sumuntur ex eodem loco ac capitula.

245. Quomodo responsoria brevia dicenda sint, sive extra tempus paschale sive tempore paschali, sive in Officio feriali temporis Passionis, in Ordinario indicatur. Extra tempus paschale, quamvis in aliquibus festis addenda sint duo *Alleluia* in fine responsorii brevis ante versum ad Tertiam, Sextam et Nonam, non ideo addenda sunt etiam ad Primam et ad Completorium.

Q) *De orationibus*

246. Oratio dicitur in fine cuiuslibet Horae, loco in Ordinario notatur. Excipitur Matutinum, quando una cum Laudibus recitatur.

247. Orationi praemittitur, in recitatione *in choro* vel *in communi*, *Dominus vobiscum*, cui respondetur *Et cum spiritu tuo*. In recitatione *a solo* facta, et ab iis qui in ordine diaconatus non sunt constituti, dicitur, nisi iam praecedat, *Domine, exaudi orationem meam*, et respondetur *Et clamor meus ad te veniat*. Deinde dicitur *Oremus*, et subiungitur oratio. Et sic in recitatione *a solo*, loco *Dominus vobiscum*, semper dicitur *Domine, exaudi orationem meam*, ut supra.

248. Ad Primam et ad Completorium oratio nunquam mutatur, nisi in Officio Commemorationis omnium Fidelium defunctorum et, in Triduo sacro, ad Primam. Ad alias Horas, sumitur oratio quae ponitur ad Laudes; in feriis Quadragesimae et Passionis tamen, ad Vesperas, exstat oratio propria.

249. Oratio Officii diei semper dicitur sub sua conclusione, salvo praescripto n. 110 a. Orationes vero, quae ad commemorationes pertinent, concluduntur in ultima tantum; attamen *Oremus* dicitur ante quamlibet orationem.

R) *De commemorationibus*

250. Commemorationes fiunt iuxta normas in rubricis generalibus, nn. 106-114, datas.

251. Commemorationes ponuntur post orationem Officii diei; et fiunt per antiphonam quae ponitur respective ad *Benedictus* vel ad *Magnificat* in Officio commemorato, per versum qui eam praecedit et per orationem, salvo praescripto n. 110 c.

252. Ad faciendam commemorationem Officii dominicae, feriae et vigiliae Ascensionis, antiphona et versus sumuntur e Proprio de Tempore, Psalterio vel Ordinario, oratio autem e Proprio de Tempore; ad faciendam commemorationem vero octavae Nativitatis vel Officii Sanctorum, antiphona, versus et oratio sumuntur e Proprio vel Communi; ad faciendam demum commemorationem vigiliae II et III classis, antiphona et versus sumuntur e Psalterio, oratio autem e Proprio.

253. In faciendis commemorationibus, haec animadvertantur:

a) in eadem Hora nunquam bis repetatur eadem antiphona;

b) in eadem commemoratione antiphona et versus nunquam constant iisdem verbis.

254. Si in Laudibus una tantum facienda est commemoratio, et antiphona ac versus sumenda sunt ex eodem Communi unde sumpta sunt in Officio diei, pro commemoratione sumuntur antiphona ac versus e I Vesperis.

255. Si in Laudibus duae faciendae sunt commemorationes, et antiphona ac versus sumenda sunt ex eodem Communi:

a) pro prima commemoratione, sumuntur antiphona et versus e Laudibus;

b) pro altera, antiphona et versus e I Vesperis.

256. Si in Laudibus duae faciendae sunt commemorationes, et antiphona ac versus sumenda sunt ex eodem Communi unde sumpta sunt in Officio diei:

a) pro prima commemoratione, sumuntur antiphona et versus e I Vesperis;

b) pro altera, antiphona et versus e II Vesperis.

257. Ad ea quae nn. 253-256 habentur, animadvertatur:

a) si antiphona eadem sit in I et II Vesperis, pro altera commemoratione sumitur antiphona e Laudibus, vel demum prima antiphona tertii Nocturni;

b) textus antiphonae adhiberi potest, in eadem Hora, tamquam versus pro altera commemoratione, sumenda ex eodem Communi;

c) antiphona *Euge, serve bone*, quae ponitur ad Laudes de Communi Confessoris Pontificis, censetur identica cum simili antiphona, quae habetur ad Laudes de Communi Confessoris non Pontificis.

258. Item, si eadem sit oratio festi de quo fit Officium et eius de quo fit commemoratio, oratio pro commemoratione mutatur in alteram de eodem vel simili Communi.

259. Antiphonae et versus propria, si in una Hora pro commemoratione adhiberi nequeunt, non transferuntur, sed omittuntur.

S) De precibus

260. Preces dicuntur tantum in Officiis de Tempore, et quidem:

- a) in Laudibus et Vesperis feriae IV et VI temporis Adventus, Quadragesimae et Passionis;
- b) in Laudibus et Vesperis feriae IV et VI Quatuor Temporum mensis septembris;
- c) in Laudibus sabbatorum Quatuor Temporum, excepto sabbato infra octavam Pentecostes.

VI – De ratione signo crucis se muniendi, standi, genuflectendi et sedendi in recitatione divini Officii

261. Quae hic dicuntur de signo crucis et de corporis situ in recitatione divini Officii, valent pro recitatione *in choro* vel *in communi*; convenit vero ut hi qui *a solo* divinum Officium recitant, iis quae de signo crucis dicuntur se conforment.

262. Normae peculiare quae ad hebdomadariam et cantores spectant, in caeremoniarum libris inveniuntur; proinde hic ea tantum indicantur quae «chorales» in genere respiciunt.

263. Omnes signant se signo crucis a fronte ad pectus et ab humero sinistro ad dexterum:

- a) in principio omnium Horarum, cum dicitur *Deus, in adiutorium*;
- b) ad versum *Adiutorium nostrum*;
- c) ad absolutionem *Indulgentiam* post *Confiteor* in Completorio;
- d) in principio canticorum *Benedictus, Magnificat* et *Nunc dimittis*;
- e) ad benedictionem in fine Primae et Completorii;
- f) ad versum *Divinum auxilium*, in fine divini Officii.

264. Signo crucis os sibi signant in principio Matutini, ad verba *Domine, labia mea aperies*.

265. Signo crucis pectus sibi signant ad verba *Converte nos* in Completorio.

266. Omnes stant:

- a) in principio cuiusque Horae, donec primus versus primi psalmi inchoatus sit;
- b) dum dicuntur hymni, et cantica evangelica;
- c) *ad Matutinum* etiam ad invitatorium cum suo psalmo et ab expleta ultima antiphona cuiusque Nocturni usque ad primam benedictionem ante lectiones inclusive; et dum legitur textus Evangelii ante homiliam;
- d) *ad Laudes et Vesperas* etiam ab expleta antiphona post ultimum psalmum usque ad finem, nisi genuflectendum sit ad preces aut ad orationem, iuxta rubricas;
- e) *ad Primam*, ab expleta antiphona usque ad finem, praeterquam ad lectionem Martyrologii, nisi genuflectendum sit ad orationes;
- f) *ad Tertiam, Sextam et Nonam*, ab expleta antiphona usque ad finem, nisi genuflectendum sit ad orationem;
- g) *ad Completorium*, ab expleta antiphona post psalmos usque ad finem, nisi genuflectendum sit ad orationem;
- h) ad intonationem antiphonarum in Matutino, Laudibus et Vesperis cantatis, iuxta consuetudinem;
- i) ad antiphonam finalem B. Mariae Virg., post Completorium, sabbato et dominica, etiam si non fit Officium de dominica, et toto tempore paschali.

267. Omnes genua flectunt:

- a) ad verba *Venite, adoremus et procidamus, etc.* in psalmo *Venite, exsultemus* in initio Matutini;
- b) ad versum *Te ergo quaesumus* in hymno *Te Deum*;
- c) ad preces, quando dicendae sunt;
- d) in Officio feriali Adventus, Quadragesimae et Passionis necnon Quatuor Temporum mensis septembris, et de vigiliis II et III classis, excepta vigilia Ascensionis, in omnibus Horis ad orationem et commemoraciones forsan sequentes; hebdomadarius autem stat;
- e) ad antiphonam finalem B. Mariae Virg. post Completorium, praeterquam sabbato et dominica et toto tempore paschali; hebdomadarius autem stat dum dicit orationem;
- f) in quibusdam aliis peculiaribus adiunctis, quae suis locis notantur.

268. Omnes sedent:

- a) in omni Hora, incepto primo versu primi psalmi, donec antiphona ultimi psalmi repetita est;
- b) ad lectiones cum suis responsoriis ad Matutinum, praeterquam dum legitur textus Evangelii ante homiliam;
- c) dum legitur Martyrologium, ad Primam, nisi aliter statuatur.

PARS TERTIA

RUBRICAE GENERALES MISSALIS ROMANI**I – Notiones et normae generales**

269. Sacrosanctum Missae Sacrificium, iuxta canones et rubricas celebratum, est actus cultus publici, nomine Christi et Ecclesiae Deo redditi. Denominatio proinde «Missae privatae» vitetur.

270. Missa cum Officio divino summum totius christiani cultus constituit; Missa proinde per se cum Officio diei concordare debet.

Dantur tamen etiam Missae extra ordinem Officii, scilicet votivae aut defunctorum.

271. Missarum species duae sunt: *Missa in cantu* et *Missa lecta*.

Missa dicitur *in cantu*, si sacerdos celebrans partes ab ipso iuxta rubricas cantandas revera cantu profert; secus dicitur *lecta*.

Missa in cantu porro, si celebratur cum assistentia ministrorum sacrorum, appellatur *Missa solemnis*; si celebratur absque ministris sacris, vocatur *Missa cantata*.

Missa solemnis demum, quae ab Episcopo vel ab aliis facultatem habentibus celebratur cum solemnitatibus in libris liturgicis statutis, dicitur *Missa pontificalis*.

272. Missa natura sua postulat, ut omnes adstantes, secundum modum sibi proprium, eidem participant.

Varios autem modos, quibus fideles sacrosancto Missae Sacrificio actuose participare possunt, ita oportet moderari, ut periculum cuiusvis abusus amoveatur, et praecipuus eiusdem participationis finis obtineatur, plenior scilicet Dei cultus et fidelium aedificatio.

De hac fidelium actuosa participatione fusius actum est in *Instructione de Musica sacra et sacra Liturgia* a S. Rituum Congregatione data die 3 septembris anni 1958.

273. Rubricae quae sequuntur valent tam pro Missis in cantu quam pro Missis lectis, nisi aliter expresse caveatur.

**II – De calendario adhibendo
in Missae celebratione**

274. Missa dicenda est iuxta calendarium aut ecclesiae vel oratorii in quo Missa celebratur, aut loci, aut ipsius sacerdotis celebrantis, aut Ecclesiae universae, prout infra exponitur.

275. *In ecclesia vel oratorio publico*, quilibet sacerdos, tam dioecesanus quam religiosus, celebrare tenetur iuxta calendarium ipsius ecclesiae vel oratorii publici.

Idem servetur *in oratorio semipublico principali* seminarii, domus religiosae, collegii, nosocomii, carceris et similium.

276. *In oratoriis secundariis* seminarii, domus religiosae, collegii, nosocomii, carceris et similium, quilibet sacerdos sequi potest aut calendarium ipsius oratorii aut proprium.

277. *In oratoriis privatis*, et cum celebrat super altare portatile extra locum sacrum, quilibet sacerdos sequi potest aut calendarium loci (n. 53 a) aut proprium.

278. De festis Patroni principalis nationis, regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis, dioecesis, oppidi seu civitatis, necnon de anniversario Dedicationis ecclesiae cathedralis et aliis festis actu feriatis, si quae sint, quilibet sacerdos Missam celebrare debet, etiamsi secus calendarium proprium sequi posset.

279. Oratorium fixe constitutum *in navibus* est oratorium publicum; et in eo adhiberi debet calendarium Ecclesiae universae. Cum autem quis celebrat extra huiusmodi oratorium, super altare portatile, adhibere potest vel calendarium Ecclesiae universae vel calendarium proprium. Idem facere potest qui legitime celebrat in itinere aëreo, fluviali vel viae ferreae.

280. In seminariis et collegiis clericorum dioecesanis, Religiosis commissis; necnon in seminariis et collegiis clericorum interdioecesanis, regionalibus, nationalibus et internationalibus, etiam Religiosis commissis, idem adhibetur calendarium, quod praecipitur pro recitatione divini Officii in communi (nn. 154-155).

281. In collegiis et domibus interprovincialibus, nationalibus et internationalibus Religiosorum, adhibendum est calendarium proprium Ordinis seu Congregationis universae (n. 55), additis tantum festis de quibus n. 57.

282. Calendarium *dioecesanum*, additis festis loci et ecclesiae vel oratorii propriis, adhiberi debet:

a) in ecclesiis cathedralibus, etsi Religiosis sint commissae;

b) in ecclesiis et oratoriis propriis cleri dioecesani, etsi chorum Religiosorum adnexum habeant, qui cum ecclesia per crates tantum communicat;

c) in ecclesiis et oratoriis Religiosorum utriusque sexus, qui calendarium proprium non habent, additis tamen festis ipsis propriis et indultis;

d) in ecclesiis et oratoriis Religiosorum, quae clero dioecesano commissae sunt, aut adnexum habent chorum Canonicorum; non autem si ecclesia vel oratorium alicui sacerdoti in particulari est commissum;

e) in ecclesia et oratorio principali seminarii, etsi Religiosis sit commissum, data tamen facultate addendi festa de quibus n.154.

283. Calendarium *religiosum*, additis festis de quibus n. 57 atque festis ecclesiae vel oratorii propriis adhiberi debet:

a) in ecclesiis et oratoriis principalibus Religiosorum, qui calendarium proprium habent, etsi sint paroecialia;
 b) in ecclesiis et oratoriis cleri dioecesani, quae Religiosis commissa sunt, aut ipsis Religiosis inserviunt pro publica divini Officii recitatione, etsi sint paroecialia; non autem si ecclesia vel oratorium alicui Religioso in particulari est commissum;

c) in ecclesiis et oratoriis Tertiariorum utriusque sexus, etsi solum Officium parvum B. Mariae Virg. recitent;
 d) in oratoriis secundarii seminarii Religiosis commissis, si haec oratoria ipsis Religiosis tantum inserviunt.

284. Sacerdos qui celebrat in ecclesia vel oratorio ubi ritus diversus viget, stare debet calendario ipsius ecclesiae, vel oratorii quoad festa eorumque gradum, commemorationes et collectam imperatam. In ordinanda autem Missa, sumere debet partes variabiles proprias illius ritus, retentis caeremoniis et Ordinario proprii ritus.

III – De Missa conventuali

285. Nomine Missae conventualis intellegitur Missa quae ab iis, qui per leges Ecclesiae choro adstringuntur, in coniunctione cum Officio divino cotidie celebranda est.

286. Singulis diebus una tantum dicenda est Missa conventualis, quae cum Officio in choro recitato concordare debet, exceptis diebus de quibus infra nn. 289-294.

Obligatio tamen alias Missas in choro celebrandi ex piis foundationibus vel alia legitima causa, firma manet.

287. Missa conventualis dicenda est post Tertiam, nisi communitatis moderator, gravi de causa, eam post Sextam vel Nonam dicendam esse censuerit.

In vigilia Pentecostes, Missa conventualis dicitur post Nonam.

288. Missa conventualis per se solemnis esse debet, vel saltem cantata. Ubi vero per leges particulares vel per peculiaria indulta a solemnitate Missae in choro dispensatum fuerit, convenit ut Missae conventuali lectae chorales participationem liturgicam directam praestent, partes saltem Ordinarii Missae recitando. Porro iidem chorales prohibentur quominus, inter Missam conventualem, Horas canonicas choraliter prosequantur.

289. In omnibus feriis IV classis, nisi aliter praescribatur, loco Missae conventualis Officio conformis, dici potest, sine commemoratione feriae:

a) aut Missa quae respondet commemorationi in Officio diei forte occurrenti;

b) aut Missa de Mysterio, Sancto vel Beato, cuius elogium eo die habetur in Martyrologio vel eius Appendice pro respectivis Ecclesiis approbata;

c) aut una ex Missis votivis quae in Missali, pro Missa conventuali, per hebdomadam disponuntur;

d) aut quaelibet alia Missa, quae tamquam votiva celebrari permittitur.

290. *Missa conventualis pro defunctis* sacerdotibus, benefactoribus et aliis, excepto tempore natalicio et paschali:

a) *dici debet*, quolibet mense, excepto mense novembri, prima feria IV classis;

b) *dici potest*, qualibet hebdomada, prima feria IV classis.

Sumitur Missa «cotidiana» cum oratione *Deus, veniae largitor*.

291. In diebus Litaniarum tam maiorum quam minorum, ubi fit processio, aut fiunt aliae peculiare supplicationes, Missa conventualis dici debet de Rogationibus (nn. 346-347).

292. In die coronationis Summi Pontificis, et in anniversariis eiusdem Summi Pontificis et Episcopi dioecesani, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, pro Missa conventuali dicitur Missa de ipsis anniversariis, iuxta nn. 362-363.

293. In anniversario Episcopi proxime defuncti, necnon in anniversario quod infra octiduum omnium Fidelium defunctorum celebratur pro animabus omnium Episcoporum et ecclesiae cathedralis Canonicorum defunctorum, in ipsa ecclesia cathedrali pro Missa conventuali dicitur Missa de iisdem anniversariis.

294. In anniversariis omnium defunctorum alicuius Capituli aut Ordinis seu Congregationis ad chorum obligatae, pro Missa conventuali dicitur Missa de iisdem anniversariis.

295. In Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, pro Missa conventuali adhibenda est Missa quae prima inscribitur hoc die; et chorales illi soli interesse tenentur.

296. In festo Nativitatis Domini, in choro dicuntur duae Missae conventuales, scilicet una in nocte et altera in die.

297. Cum Episcopus Missam solemniter celebrat, vel eidem assistit; aut cum in choro canitur Missa Officio non conformis, ratione alicuius solemnitatis externa, chorales huic Missae tantum interesse tenentur, etsi pro benefactoribus non applicetur, servata tamen lege de applicanda alia Missa per eum ad quem spectat.

IV – De Missa in dominicis et feriis

298. Omnes dominicae, sive I sive II classis, propriam Missam habent. Attamen dominicae post Epiphaniam, quae transferuntur inter dominicam XXIII et XXIV post Pentecosten, sumunt antiphonas ad Introitum, ad Offertorium et ad Communionem, necnon graduale et *Alleluia* cum suo versu a dominica XXIII post Pentecosten, retentis orationibus, Epistola et Evangelio propriis.

299. Item propriam Missam habent omnes feriae temporis Quadragesimae et Passionis necnon Quatuor Temporum Adventus et septembris. In reliquis feriis dicitur Missa dominicae praecedentis, nisi a rubricis aliter provisum sit.

300. In sabbatis Quatuor Temporum et in sabbato «*Sitientes*», Missa in qua Ordines sacri conferuntur dicenda est de sabbato, etiam festo I vel II classis occurrente.

V – De Missis festivis

301. Missa de festo, *sensu proprio*, intellegitur Missa de Mysterio, Sancto vel Beato quae celebratur secundum ordinem Officii.

302. *Sensu autem latiore*, dicuntur quoque Missae de festo:

a) Missa de festo III classis ab alio festo eiusdem gradus impedito;

b) Missa de commemoratione in Officio diei occurrente;

c) Missa de Mysterio, Sancto vel Beato, cuius elogium eo die habetur in Martyrologio vel eius Appendice pro respectivis Ecclesiis approbata.

303. Missae festivae numero praecedenti recensitae omnibus iuribus liturgicis gaudent, ac si festum cum integro Officio celebraretur. Attamen:

a) Missa de festo III classis impedito dici potest suo die, solummodo si etiam festum impediens sit III classis;

b) Missa de commemoratione in Officio diei occurrente, et Missa de Mysterio, Sancto vel Beato, cuius elogium eo die habetur in Martyrologio vel eius Appendice pro respectivis Ecclesiis approbata, dici potest tantum si occurrit dies liturgicus IV classis.

304. Missae quae dicuntur festivae sensu latiore prohibentur in ecclesiis unam tantum Missam habentibus:

a) quoties urgeat onus Missae conventualis cui per alium sacerdotem satisfieri nequeat, nisi Missa, iuxta n. 289, tamquam conventualis dici possit;

b) quoties diebus Litaniarum dicenda sit, iuxta rubricas, Missa de Rogationibus.

305. Ad formulam autem Missae festivae eligendam extra Missam conventualem, haec servantur:

a) pro festis quae in Proprio Sanctorum habentur, sumitur Missa quae, suo die, in Missali indicatur. Attamen, loco Missae de Communi, sumi potest, ad libitum sacerdotis celebrantis, Missa propria de eodem festo, si habetur, inter Missas pro aliquibus locis;

b) pro festis quae in Proprio Sanctorum non habentur, sumitur Missa de Communi. Quoties in eodem Communi plures exstant formulae, electio fit ad libitum sacerdotis celebrantis. In singulis autem Communibus Epistolae et Evangelia, quae habentur sive in ipsis Missis sive ad calcem totius Communis, sumi possunt in qualibet Missa de eodem Communi.

VI – De Missis votivis

A) De Missis votivis in genere

306. Nomine Missae votivae intellegitur Missa quae dicitur extra ordinem Officii vel commemorationum diei currentis, aut non est de Mysterio, vel Sancto eo die in Martyrologio elogium habente.

307. Missa votiva potest esse:

a) de mysteriis Domini;

b) de beata Maria Virgine;

c) de Angelis;

d) de Sanctis;

e) ad diversa.

308. Tamquam Missae votivae, *de mysteriis Domini*, celebrari possunt:

a) in Ecclesia universa:

1) de Ss.ma Trinitate;

2) de Ss.mo Nomine Iesu;

3) de Ss.mo Corde Iesu;

4) de pretiosissimo Sanguine D. N. I. C.;

5) de Christo Rege;

6) de Ss.mo Eucharistiae Sacramento;

7) de D. N. Iesu Christo, summo atque aeterno Sacerdote;

8) de sancta Cruce;

9) de Passione Domini;

10) de sancta Familia Iesu, Mariae, Ioseph;

11) de Spiritu Sancto;

b) in singulis ecclesiis, praeter Missas supra memoratas, omnes Missae de festis Domini quae in calendariis particularibus inscribuntur, et aliae Missae votivae specialiter concessae.

Celebrari tamen nequeunt, tamquam votivae, Missae quae referuntur ad mysteria vitae Domini.

309. *De beata Maria Virgine* celebrari possunt, tamquam votivae:

a) in Ecclesia universa, Missae quae pro sancta Maria in sabbato, iuxta temporum diversitatem, in Missali assignantur, necnon omnes Missae de festis B. Mariae Virg. quae in calendario universali inscribuntur;

b) in singulis ecclesiis, praeter Missas supra memoratas, omnes Missae de festis B. Mariae Virg. quae in calendariis particularibus inscribuntur, et aliae Missae votivae specialiter concessae.

Partes variandae iuxta diversa anni tempora, in his Missis deficientes, sumuntur e Communi festorum B. Mariae Virg.

Celebrari tamen nequeunt, tamquam votivae, Missae quae referuntur ad mysteria vitae eiusdem B. Mariae Virginis, excepta Missa de eiusdem Immaculata Conceptione.

310. *De Angelis* celebrari possunt, tamquam votivae:

a) Missae de singulis festis Ss. Angelorum;

b) Missa votiva de Ss. Angelis feriae III assignata.

311. *De Sanctis* celebrari possunt, tamquam votivae, Missae de quolibet Sancto canonizato elogium habente in Martyrologio romano, vel eius Appendice pro respectivis Ecclesiis approbata.

312. *Missae votivae de Beatis* permittuntur, ex Apostolico Indulto, unice in triduo quod in eorum honorem celebratur intra annum a beatificatione.

313. *Missae votivae «ad diversa»* habentur in Missali, vel eius Appendice pro aliqua ecclesia approbata, pro peculiaribus circumstantiis vel necessitatibus celebrandae.

314. Pro Missa votiva de mysteriis Domini sumitur Missa de respectivo festo, nisi expresse indicetur aliam esse adhibendam; aut peculiaris Missa votiva.

315. Pro Missa votiva de B. Maria Virg., de Angelis et de Sanctis sumitur Missa de respectivo festo, si in Missali habetur, sive in Proprio Sanctorum sive inter Missas pro aliquibus locis, nisi alia Missa tamquam votiva in Missali expresse indicetur.

Quodsi festum in Missali desit, sumitur Missa de Communi. Quoties in eodem Communi plures exstant formulae, electio fit ad libitum sacerdotis celebrantis. In singulis autem Communibus, Epistolae et Evangelia, quae habentur sive in ipsis Missis sive ad calcem totius Communis, sumi possunt in qualibet Missa de eodem Communi.

Serventur tamen rubricae de mutandis nonnullis partibus vel verbis, iuxta anni tempora et iuxta qualitatem mere votivam huius Missae.

316. Pro aliqua peculiari necessitate, sumitur Missa votiva propria, si habetur in Missali; ea vero deficiente, sumitur «Missa pro quacumque necessitate», adhibitis, loco orationum huius Missae, orationibus necessitati occurrenti convenientibus, si inter «Orationes diversas» inveniuntur.

317. Quaevis Missa votiva de mysteriis Domini, de B. Maria Virg. vel Sancto, prohibetur quoties occurrit dies liturgicus I vel II classis in quo fit Officium de eadem Persona. Tunc, loco Missae votivae, dicenda est Missa de Officio occurrenti. Occurrente vero die liturgico III vel IV classis, eligi potest aut Missa de Officio diei aut Missa votiva, exclusa alterius commemoratione.

318. Oratio Missae votivae impeditae additur, sub unica conclusione, orationi Missae diei, solummodo si Missa votiva est I aut II classis, et modo ne occurrat dies sub nn. 1, 2, 3, et 8 in tabella praecedentiae recensitus.

De Missa votiva III classis impedita nihil fit in Missa de Officio occurrenti.

319. In admittendis et ordinandis orationibus in Missis votivis, serventur ea quae infra pro singulis Missarum votivarum classibus statuuntur (nn. 330 b, 343 b, 386 b, 389 b).

320. De hymno angelico et de symbolo in Missis votivis dicitur suis locis, cum agitur de singulis Missarum votivarum classibus, et infra, nn. 431-432, et 475-476.

321. Sequentia, si qua habetur, in Missis votivis omittitur.

322. Praefatio dicitur quae cuique Missae votivae propria est; qua deficiente, dicitur praefatio de Tempore aut communis, iuxta normas generales.

323. Color paramentorum, in Missis votivis, debet esse cuique Missae conveniens; sed in Missis votivis lectis IV classis non conventualibus, adhiberi potest etiam color Officii diei, servato tamen colore violaceo et nigro unice pro Missis quibus per se competit.

324. Nisi in rubricis particularibus aliud statuatur, Missa votiva potest esse aut in cantu aut lecta.

325. Missae votivae sunt I, II, III aut IV classis; de singulis agitur numeris sequentibus.

326. Quaevis Missa votiva prohibetur in ecclesiis unam tantum Missam habentibus:

a) quoties urgeat onus Missae conventualis, cui per alium sacerdotem satisfieri nequeat, exceptis Missis votivis, quae certis diebus pro Missa conventuali dici possunt (n. 289) aut debent (nn. 290-294);

b) die 2 februarii, si fiat benedictio candelarum;

c) in Litaniis maioribus et minoribus, si dicenda sit Missa de Rogationibus (n. 346).

327. Quoties, in rubricis aut in peculiari indulto, aliqua Missa indicatur tamquam votiva alicuius classis, ordinanda est iuxta normas et privilegia, quae pro eadem classe Missarum votivarum statuuntur.

B) *De Missis votivis I classis*

I – De Missis votivis I classis in genere

328. Nomine Missae votivae I classis intellegitur Missa votiva quae celebrari permittitur omnibus diebus liturgicis, iis tantum exceptis qui sub nn. 1-8 in tabella praecedentiae recensentur, salvo praescripto n. 332.

329. Missae votivae I classis, a rubricis generalibus praevisae, sunt:

- a) Missae de Dedicatione, in actu consecrationis ecclesiae (nn. 331-334);
- b) Missae *in cantu* de Ss.mo Eucharistiae Sacramento, in solemnioribus celebrationibus Congressus eucharistici (n. 335);
- c) Missae *in cantu* de mysteriis Domini, B. Maria Virg., Sancto vel Beato, occasione celebrationis extraordinariae (n. 340 a).

330. Privilegia Missarum votivarum I classis sunt:

- a) dicuntur cum *Gloria* et *Credo*;
- b) excludunt omnes commemorationes non privilegiatas, et collectam ab Ordinario loci imperatam;
- c) oratio Missae votivae impeditae additur sub unica conclusione orationi Missae diei currentis, modo ne occurrat dies sub nn. 1, 2, 3 et 8 in tabella praecedentiae recensitus;
- d) si in cantu celebrantur, adhibetur tonus sollemnis.

II – De Missis Dedicationis in actu consecrationis ecclesiae

331. Ecclesiarum consecratio, quamvis omni die de iure fieri possit, opportunius tamen fit dominicis et festis diebus. Prohibetur vero in vigilia et festo Nativitatis Domini, in festis Epiphaniae et Ascensionis Domini, Corporis Christi, diebus a dominica II Passionis seu in palmis usque ad dominicam Resurrectionis inclusive, in dominica Pentecostes, necnon die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum.

332. Missa de Dedicatione in actu consecrationis ecclesiae vel oratorii est pars totius ritus consecrationis; proinde celebrari debet quoties ecclesia vel oratorium consecratur, etiam diebus quibus reliquae Missae votivae I classis prohibentur.

333. In Missa de Dedicatione in actu consecrationis ecclesiae additur, sub unica conclusione, oratio de Mysterio vel Sancto in cuius honorem ecclesia vel oratorium est consecratum, et nulla alia admittitur commemoratio, ne privilegiata quidem.

334. Aliae Missae quae in ecclesia vel oratorio, die consecrationis, expleto ritu, celebrantur, dici possunt de Dedicatione, tamquam votivae I classis.

III – De Missis in Congressibus eucharisticis

335. Singulis diebus Congressus eucharistici dioecesiani, regionalis, nationalis et internationalis, Missa principalis, dummodo sit *in cantu*, celebrari potest de Ss.mo Eucharistiae Sacramento, tamquam votiva I classis.

336. In ceteris publicis celebrationibus eorundem Congressuum, Missa de Ss.mo Eucharistiae Sacramento celebrari potest tamquam votiva II classis.

337. Singuli sacerdotes qui Congressui eucharistico intersunt, celebrare possunt Missam de Ss.mo Eucharistiae Sacramento, tamquam votivam III classis.

IV – De Missis votivis in quibusdam celebrationibus extraordinariis

338. Privilegia hac paragrapho indicata spectant ad Missas:

a) in triduo vel octiduo quod in honorem alicuius Sancti vel Beati, intra annum a canonizatione vel beatificatione, celebratur;

b) in quibusdam celebrationibus extraordinariis, per triduum vel octiduum perductis, occasione v. gr. saecularis recurrentiae. Excluduntur tamen celebrationes extraordinariae in honorem Beatorum.

339. Ad celebrationes peragendas, de quibus numero praecedenti, requiritur peculiare indultum Sanctae Sedis.

340. Singulis diebus harum celebrationum permittitur:

a) *unica Missa in cantu* de mysterio Domini, B. Maria Virg., Sancto vel Beato in cuius honorem celebrationes peraguntur, tamquam votiva I classis;

b) *omnes Missae lectae*, ut supra, tamquam votivae II classis.

C) *De Missis votivis II classis*

I – De Missis votivis II classis in genere

341. Nomine Missae votivae II classis intellegitur Missa votiva quae celebrari permittitur omnibus diebus liturgicis II, III et IV classis.

Missa tamen pro Sponsis et Missa pro gratiarum actione in 25° vel 50° anniversario a celebratione matrimonii prohibentur omnibus diebus dominicis.

342. Missae votivae II classis, a rubricis generalibus praevisae, sunt:

a) Missa in solemnibus benedictione ecclesiae vel oratorii, et in consecratione altaris (n. 345);

b) Missa Rogationum in Litaniis tam maioribus quam minoribus (nn. 346-347);

c) Missae votivae occasione orationis Quadraginta Horarum aut alterius expositionis Ss.mi Sacramenti (nn. 348-355);

d) Missae de solemnitate externa festorum (nn. 356-361);

e) Missa in die coronationis Summi Pontificis et in anniversariis Papae et Episcopi dioecisani (nn. 362-365);

f) Missa pro re gravi et publica simul causa (nn. 366-368);

g) Missa «Pro Fidei propagatione» (nn. 369);

h) Missae in quibusdam occasionibus peculiaribus (nn. 370-372);

i) Missae votivae in sanctuariis (nn. 373-377);

l) Missa votiva pro Sponsis et Missa pro gratiarum actione in 25° et 50° anniversario a celebratione matrimonii (nn. 378-382).

343. Privilegia Missarum votivarum II classis sunt:

a) dicuntur cum *Gloria*, nisi adhibeatur color violaceus paramentorum; sed sine *Credo*, nisi ratione dominicae aut octavae occurrentis dicendum sit;

b) admittunt unam tantum commemorationem, et excludunt collectam ab Ordinario loci imperatam;

c) oratio Missae votivae impeditae additur, sub unica conclusione, orationi Missae diei, modo ne occurrat dies sub nn. 1, 2, 3 et 8 in tabella praecedentiae recensitus, salvo praescripto n. 380;

d) si in cantu celebrantur, adhibetur tonus sollemnis.

344. Missae votivae II classis reguntur normis generalibus n. 343 memoratis; quae autem sunt cuique Missae propria, infra indicantur.

II – De Missa votiva in solemnibus benedictione ecclesiae vel oratorii, et in consecratione altaris

345. In solemnibus benedictione ecclesiae vel oratorii, et in consecratione altaris, expleto ritu, dicitur, tamquam votiva II classis, Missa de Mysterio vel Sancto in cuius honorem ecclesia vel oratorium est benedictum, vel altare est consecratum.

III – De Missa Rogationum in Litaniis tam maioribus quam minoribus

346. In Litaniis tam maioribus quam minoribus (nn. 80-90), in ecclesiis in quibus fit processio vel, de mandato Ordinarii loci, peculiare celebrantur supplicationes (nn. 83), dicitur, tamquam votiva II classis, Missa de Rogationibus (cfr. n. 86).

347. Missa Rogationum, vel Missa diei quae locum tenet Missae votivae impeditae, habetur tamquam pars totius actionis liturgicae; et dicitur regulariter expleta processione, vel expletis aliis peculiaribus supplicationibus.

IV – De Missis votivis occasione orationis Quadraginta Horarum aut alterius expositionis Ss.mi Sacramenti

348. Ad exponendum et reponendum Ss.mum Sacramentum pro oratione Quadraginta Horarum, sive continua sive interrupta, in ipso altari expositionis celebratur, *in cantu*, tamquam votiva II classis, Missa de Ss.mo Eucharistiae Sacramento.

349. Die medio expositionis, in altari ubi Ss.mum Sacramentum non est expositum, celebrari potest *in cantu*, tamquam votiva II classis, aut Missa de Ss.mo Eucharistiae Sacramento, aut alia Missa votiva peculiaribus necessitatibus loci accommodata.

350. Diebus quibus Missae votivae IV classis a rubricis permittuntur, convenit ut Missae quae celebrantur in ecclesia in qua habetur oratio Quadraginta Horarum, sint de Ss.mo Eucharistiae Sacramento.

351. In Commemoratione omnium Fidelium defunctorum:

a) expositio Ss.mi Sacramenti sequatur, repositio vero praecedat Missam in cantu, vel principalem;

b) tempore expositionis, Missae de Officio diei dicuntur cum paramentis violaceis, et extra altare expositionis.

352. Die 2 februarii, feria IV cinerum et in dominica II Passionis seu in palmis, si fit benedictio candelarum, aut respective cinerum vel palmarum, Ss.mum Sacramentum, pro adoratione Quadraginta Horarum expositum, tempore benedictionis et processions vel impositionis cinerum, aut transfertur ad aliud altare in quo adoratio continuari possit absque detrimento pietatis fidelium, aut deponitur, et adoratio resumitur, expleta benedictione et processione vel cinerum impositione cum Missa. Quod servatur etiam in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, pro Missa principali diei et sequenti absolute ad tumulum.

353. Ad exponendum Ss.mum Sacramentum pro publica adoratione, quae per unum diem protrahitur, dici potest, tamquam votiva II classis, Missa de Ss.mo Eucharistiae Sacramento.

354. Ad exponendum vero Ss.mum Sacramentum pro publica adoratione, quae per aliquas tantum horas protrahitur, dicitur Missa de die, sine commemoratione Ss.mi Sacramenti.

Diebus tamen, quibus permittuntur Missae votivae IV classis, convenientius dicitur Missa de Ss.mo Eucharistiae Sacramento.

355. In Missis quae durante adoratione, ex indulto, ad altare expositionis celebrantur, additur, sub unica conclusione, oratio de Ss.mo Eucharistiae Sacramento, modo ne occurrat dominica, nec Officium, Missa aut commemoratio fiat de Christo Domino.

V – De Missis votivis in solemnitate externa festorum

356. Nomine solemnitatis externae alicuius festi intellegitur celebratio ipsius festi absque Officio, in bonum fidelium, vel die quo festum impeditur, vel in dominica quando ipsum festum occurrit infra hebdomadam, vel alio statuto die.

357. Solemnitas externa alicui festo aut ipso iure competit, aut peculiari indulto conceditur.

358. Solemnitas externa ipso iure competit dumtaxat:

- a) festo Ss.mi Cordis Iesu;
- b) festo B. Mariae Virg. a Rosario, in dominica I mensis octobris;
- c) festo Purificationis B.M.V., si actio liturgica huic diei propria, approbante Sancta Sede, in dominicam transferatur, pro ea tantum Missa, quae candelarum benedictionem et processionem sequitur;
- d) festo Patroni principalis, rite constituti, nationis, regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis, dioecesis, loci seu oppidi vel civitatis;
- e) festo Patroni principalis, rite constituti, Ordinis seu Congregationis, et religiosae provinciae;
- f) festo Patroni, rite constituti, coetuum vel institutionum, in ecclesiis vel oratoriis, quo fideles ad Patronum celebrandum conveniunt;
- g) festis anniversarii Dedicationis necnon Tituli propriae ecclesiae;
- h) festis Tituli necnon Fundatoris canonizati Ordinis seu Congregationis;
- i) festis aut commemorationibus, in calendario Ecclesiae universae vel in calendario proprio inscriptis, quae cum peculiari populi concursu celebrantur: cuius rei iudex est loci Ordinarius.

359. Solemnitas externa, si ipso iure competat nec supra, n. 358, pro quibusdam solemnitatibus externis aliter statuatur, fieri potest aut ipso die quo festum impeditur, aut in dominica immediate praecedenti vel immediate sequenti Officium festi impediti, aut alio die ab Ordinario loci determinando, iuxta rubricas.

Si vero peculiari indulto conceditur, solemnitas externa diei definito assignatur.

360. De festo cuius fit solemnitas externa, celebrari potest una Missa in cantu et altera lecta, vel duae Missae lectae, tamquam votivae II classis, excepto casu de quo n. 358 c.

361. Solemnitates externae per peculiare indultum quibusdam dioecesibus, ecclesiis vel familiis religiosis iam antea concessae, in vigore manent, ea tamen restrictione quod diebus liturgicis I classis prohibeantur, et numquam plures quam duae Missae de eadem solemnitate celebrari possint.

VI – De Missa votiva in die coronationis Summi Pontificis et in anniversariis Papae et Episcopi dioecesanii

362. *In die coronationis Summi Pontificis;*

in anniversario coronationis Summi Pontificis;

in anniversario aut electionis aut consecrationis aut translationis Episcopi dioecesanii (semel scilicet, die ab ipso Episcopo eligendo), pro Missa conventuali, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, dicitur Missa votiva propria, ad modum Missae votivae II classis.

363. Si autem haec Missa votiva impeditur, haec serventur:

a) si anniversarium coronationis Summi Pontificis *perpetuo* impeditur pro universa Ecclesia; aut si anniversarium Episcopi *perpetuo* impeditur pro universa dioecesi, fixe reponitur in proximiorum diem similiter non impeditum. Pariter reponitur anniversarium Episcopi dioecesanii, si eodem die occurrat dies coronationis Summi Pontificis vel eiusdem anniversarium;

b) si *accidentaliter* tantum impediuntur a die sub nn. 1, 2, 3 et 8 in tabella praecedentiae recensito, transferuntur in proximum diem qui non sit I classis.

364. Iisdem diebus, supra n. 362, recensitis, in omnibus ecclesiis et in omnibus Missis, praeter quam defunctorum, additur oratio pro Papa aut pro Episcopo, prout infra, n. 449, indicatur. Attamen haec oratio transfertur, quoties transfertur Missa votiva in ecclesiis cathedralibus et collegiatis.

365. Una Missa «In anniversario coronationis Papae» permittitur, de consensu Ordinarii loci, tamquam votiva II classis, in singulis ecclesiis, die quo peculiare aguntur celebrationes in honorem Summi Pontificis.

VII – De Missa votiva pro re gravi et publica simul causa

366. Nomine Missae votivae pro re gravi et publica simul causa intellegitur Missa quae, de mandato vel consensu Ordinarii loci, cum populi concursu celebratur, pro aliqua gravi necessitate vel utilitate spirituali vel temporali, quae communitatem vel notabilem ipsius partem afficit.

367. Missa votiva pro re gravi est unica in qualibet ecclesia; et sumitur Missa quae necessitati convenit, aut, ea deficiente, «Missa pro quacumque necessitate», iuxta ea quae supra, n. 366, indicantur.

368. Cum occurrit gravis necessitas aut publica calamitas, tempus autem Ordinarium loci adeundi non suppetit, parochus Missam votivam, ut supra, n. 366, in sua paroecia statuere potest.

VIII – De Missa «Pro Fidei propagatione»

369. Una Missa «Pro Fidei propagatione» celebrari permittitur, tamquam votiva II classis, in singulis ecclesiis, die quo peculiare habentur celebrationes pro Missionibus, et occasione Congressus missionalis.

IX – De Missis votivis in quibusdam occasionibus peculiaribus

370. Missae de quibus agitur hac paragrapho, peculiare respiciunt celebrationes, coetibus quibusdam particularibus aut parti tantum fidelium proprias.

Peculiare autem huiusmodi celebrationes sunt:

a) pro paroeciis: initium et finis sacrae Missionis ad populum; iubilaea maiora paroeciae et parochi vel alterius sacerdotis in paroecia degentis; solemnes celebrationes extraordinariae, et similia;

b) pro scholis, collegiis, seminariis et aliis institutis huius generis: initium et finis anni scholaris; iubilaea extraordinaria, ut sunt quinquagesimum vel centesimum anniversarium ab eorum institutione;

c) pro domibus religiosis: solemnia vestitionis aut professionis; initium et finis Capituli generalis, provincialis; iubilaea maiora Religionis, provinciae, domus; vigesimum quintum vel quinquagesimum anniversarium a professione vel ordinatione sacerdotali sodalium;

d) pro diversis coetibus, uti sunt confraternitates, societates piae, uniones professionales et similia; conventus generales annui; conventus extraordinarii plurium coetuum eiusdem generis; iubilaea maiora et similia;

e) pro domibus exercitiorum: initium et finis cursus exercitiorum vel conventus extraordinarii;

f) pro nosocomiis, castris, carceribus et institutis similibus: celebrationes extraordinariae religiosae, et aliae festivitates modo vel tempore extraordinario celebrandae.

371. Huiusmodi Missa, unica pro singulis occasionibus, est votiva II classis, et celebratur aut de mandato aut de consensu respectivi Ordinarii.

372. Missa, his occasionibus celebranda, seligatur conveniens, iuxta occasionum diversitatem, ex. gr. de Spiritu Sancto, pro gratiarum actione, de aliquo mysterio Domini, de B. Maria Virg., aut Sancto, aut inter Missas votivas ad diversa.

X – De Missis votivis in sanctuariis

373. Sanctuarii nomine venit ecclesia seu aedes sacra divino cultui publice exercendo dicata, quae ob peculiarem pietatis causam (ex. gr. ob imaginem sacram ibi veneratam, ob reliquiam ibi conditam, ob miraculum quod Deus ibi operatus sit, ob peculiarem indulgentiam ibi lucranda) a fidelibus constituitur meta peregrinationum ad gratias impetrandas vel vota solvenda.

374. Missae votivae, ex indulto Sanctae Sedis, sanctuariis vel aliis piis locis concessae vel concedendae, sunt Missae votivae II classis.

375. Ad omnia altaria sanctuarii, Missa votiva celebrari potest singulis diebus quibus Missae votivae II classis permittuntur, sed solummodo a sacerdotibus peregrinis, aut quoties Missa dicitur in favorem peregrinantium.

376. Similiter, in piis locis, Missa votiva celebrari potest, ut votiva II classis, a sacerdotibus ipsum pium locum visitantibus.

377. Praeter casus nn. 375 et 376 recensitos, Missa votiva celebrari potest tantum ut votiva IV classis.

XI – De Missa votiva «Pro Sponsis» et de Missa pro gratiarum actione
in 25° et 50° anniversario a celebratione matrimonii

378. Missa votiva «Pro Sponsis», vel saltem eius oratio in Missa diei impediens, permittitur quoties nuptiae celebrantur, sive extra tempus clausum, sive etiam tempore clauso, si loci Ordinarius, ex iusta causa, solemnem nuptiarum benedictionem permiserit.

379. Praeter dies quibus Missae votivae II classis prohibentur, Missa «Pro Sponsis» prohibetur etiam dominicis diebus et quoties, iuxta n. 381 c, benedictio nuptialis dari nequit.

380. Quoties Missa «Pro Sponsis», non autem benedictio nuptialis, prohibetur, dicitur Missa de Officio diei, cuius orationi additur, sub unica conclusione, oratio Missae votivae impeditae iis etiam diebus quibus, iuxta n. 343 c, commemoratio Missae votivae II classis impeditae prohibetur; et in ea datur benedictio nuptialis more solito.

Cum vero tam Missa «Pro Sponsis» quam benedictio nuptialis prohibentur, Missa una cum benedictione transferri potest in opportuniorem diem non impeditum, post celebratum matrimonium.

381. Quoad Missam «Pro Sponsis» et benedictionem nuptialem, haec insuper servantur:

a) benedictio nuptialis a Missa inseparabilis est. Proinde extra Missam dari nequit, nisi ex Apostolico Indulto; quo in casu, impertienda est iuxta formulam, quae invenitur in Rituali romano, tit. VIII, cap. III;

b) benedictio nuptialis infra Missam dari debet a sacerdote qui Missam celebrat, etiamsi alius sacerdos matrimonio adstiterit;

c) benedictio nuptialis omittitur, si sponsi non sunt praesentes; et si uterque vel alteruter benedictionem iam acceperit, servata nihilominus, sicubi vigeat, consuetudine benedictionem impertiendi, si hanc vir tantum obtinuerit;

d) in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum et in Triduo sacro, prohibetur et Missa votiva et eius commemoratio in Missa diei, et benedictio nuptialis infra Missam.

382. Pro gratiarum actione in 25° vel 50° anniversario a celebratione matrimonii, dici potest, ut votiva II classis, aut Missa de Ss.ma Trinitate aut de B. Maria Virg., addita oratione pro gratiarum actione sub unica conclusione cum prima.

Missa finita, super coniuges dicuntur preces quae inveniuntur in Rituali romano, tit. VIII, cap. VII.

XII – De aliis quibusdam Missis votivis II classis

383. Praeter Missas votivas II classis, numeris praecedentibus recensitas, revocare oportet Missas votivas lectas, quae permittuntur, tamquam votivae II classis, in celebrationibus Congressus eucharistici (n. 336), et in quibusdam celebrationibus extraordinariis (n. 340 b).

D) De Missis votivis III classis

384. Nomine Missae votivae III classis intellegitur Missa votiva quae celebrari potest diebus liturgicis III et IV classis.

385. Missa votivae III classis, a rubricis generalibus praevisae, sunt:

a) una Missa de D. N. Iesu Christo, summo atque aeterno Sacerdote, prima feria V vel primo sabbato cuiusque mensis, in ecclesiis et oratoriis in quibus peculiaria pietatis exercitia pro cleri sanctificatione, eo die, peraguntur;

b) duae Missae de Ss.mo Corde Iesu, prima feria sexta cuiusque mensis, in ecclesiis et oratoriis in quibus peculiaria pietatis exercitia in honorem eiusdem Ss.mi Cordis, eo die, peraguntur;

c) una Missa de Immaculato Corde B. Mariae Virginis, primo sabbato cuiusque mensis, in ecclesiis et oratoriis, in quibus peculiaria pietatis exercitia in honorem eiusdem Immaculati Cordis B. Mariae Virginis, eo die, peraguntur.

His addi debet Missa de Ss.mo Eucharistiae Sacramento, quae singulis sacerdotibus permittitur, diebus Congressus eucharistici (n. 337).

386. Ratio ordinandi Missas votivas III classis haec est:

a) dicuntur cum *Gloria*; sed semper sine *Credo*;

b) admittunt duas commemoraciones, aut unam commemorationem et collectam ab Ordinario loci imperatam;

c) si in cantu celebrantur, adhibetur tonus sollemnis;

d) quoties prohibentur, non commemorantur in Missa diei.

E) De Missis votivis IV classis

387. Missa votiva IV classis est Missa votiva quae celebrari potest tantum diebus liturgicis IV classis.

388. Pro Missa votiva IV classis sumi potest quaelibet Missa, quae a rubricis tamquam votiva permittitur. Requiritur tamen iusta causa, scilicet sacerdotis celebrantis vel fidelium necessitas, utilitas aut devotio.

389. In ordinanda Missa votiva IV classis, haec servantur:

a) non dicitur *Gloria*, nisi in Missis de Angelis, quocumque die, et in Missis de B. Maria Virg., in sabbato;

b) praeter orationem Missae, dici possunt duae aliae orationes, inter quas adnumerandae sunt sive commemorationes de Officio diei aut in Officio diei occurrentes, sive collecta ab Ordinario loci imperata, sive oratio votiva;

c) *Credo* semper omittitur;

d) si in cantu celebrantur, adhibetur tonus ferialis.

VII – De Missis defunctorum

A) De Missis defunctorum in genere

390. Missae pro defunctis, quae celebrantur in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, sunt iuxta ordinem Officii; omnes aliae Missae pro defunctis sunt extra ordinem Officii.

391. In Missis defunctorum nulla fit commemoratio de Officio diei currentis.

392. Missae defunctorum sunt I, II, III aut IV classis; de singulis agitur numeris sequentibus.

393. Quaevis Missa defunctorum, etiam exsequialis, prohibetur:

a) in ecclesiis et oratoriis ubi, quavis ratione, habeatur expositio Ss.mi Sacramenti, toto expositionis tempore. Excipiuntur Missae in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum (n.352);

b) in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, quoties urgeat onus Missae conventualis, cui per alium sacerdotem satisfieri nequeat; nisi ipsa Missa conventualis dici debeat aut possit pro defunctis;

c) in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, die 2 februarii, et feria IV cinerum, si respective fit benedictio candelarum aut cinerum; et in Litaniis maioribus et minoribus, si dicenda sit Missa de Rogationibus.

394. Prima Missa ex iis quae habentur in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, adhibitis orationibus propriis in Missali inter orationes diversas pro defunctis assignatis, sumitur:

a) pro defunctis Summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, et Sacerdotibus, in omnibus Missis I, II et III classis;

b) in anniversariis omnium defunctorum alicuius Ordinis vel Congregationis clericalis.

395. Missa quae inscribitur «In die obitus seu depositionis defuncti» dicitur pro defunctis non sacerdotibus:

a) in Missa exsequiali;

b) in Missis pro die obitus;

c) in Missis post acceptum mortis nuntium;

d) in ultima defuncti sepultura;

e) in die III, VII et XXX, adhibitis tamen orationibus propriis.

396. Missa quae inscribitur «In anniversario defunctorum» sumitur in anniversariis defunctorum qui non sunt sacerdotes.

397. Missa «cotidiana» sumitur pro omnibus defunctis cuiusque ordinis vel gradus, extra dies supra recensitos.

398. Quoad orationes in Missis defunctorum, haec servantur:

a) omnes Missae defunctorum, sive in cantu sive lectae, per se dicuntur cum unica oratione, nisi oratio imperata pro defunctis, iuxta n. 458, addi debeat, vel oratio votiva pro defunctis, iuxta n. 464, addi possit;

b) in Missis defunctorum IV classis, si pro certis defunctis applicentur, dicitur oratio conveniens, ut in Missali inter orationes diversas pro defunctis; si applicentur pro defunctis in genere, vel designatio ignoretur, dicitur oratio *Fidelium*;

c) in Missis defunctorum prohibetur quaevis oratio, quae non est pro defunctis.

399. *Sequentia Dies irae*:

a) dici debet tantum in Missis defunctorum I classis. Attamen in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, cum quis tres Missas sine intermissione celebrat, sequentiam dicere debet tantum in Missa principali, secus in prima Missa; in aliis Missis, nisi sint in cantu, eam omittere potest;

b) omitti potest in Missis defunctorum II, III et IV classis.

400. Quaelibet Missa defunctorum potest esse aut in cantu aut lecta.

401. Absolutio super cadaver aut super tumulum:

a) fieri debet post Missam exsequialem;

b) fieri potest post ceteras Missas defunctorum;

c) fieri potest, ex rationabili causa, etiam post Missas quae non sunt defunctorum.

B) De Missis defunctorum I classis

I – De Missis defunctorum I classis in genere

402. Missae defunctorum I classis sunt:

a) Missae in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum;

b) Missa exsequialis.

II – De Missis in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum

403. In die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, quilibet sacerdos tres Missas celebrare potest, ut in Missali hoc die.

404. In dicendis Missis huius diei, haec servantur:

- a) qui unam dumtaxat Missam celebrat, primam adhibet; qui vero duas, primam et secundam;
- b) qui Missam in cantu vel conventualem celebrat, primam adhibet, facta ei potestate anticipandae secundae et tertiae;
- c) qui plures Missas in cantu celebrat, in diversis ecclesiis, semper primam adhibere debet;
- d) si vero plures Missae, in eadem ecclesia, in cantu celebrantur, primum adhibeatur prima, deinde secunda et denique tertia.

III – De Missa exsequiali

405. Nomine Missae exsequialis intellegitur unica Missa pro defunctis, quae directe connectitur cum exsequiis alicuius defuncti.

Haec Missa, per se, celebranda est praesente cadavere; celebrari vero potest etiam, rationabilem ob causam, absente vel iam sepulto.

406. Missa exsequialis prohibetur:

- a) diebus sub nn. 1, 2, 3, 4, 5 et 6 in tabella praecedentiae recensitis;
- b) diebus festis de praeepto, inter festa sub n. 11 in tabella praecedentiae comprehensis;
- c) in anniversario Dedicacionis et in festo Tituli ecclesiae, in qua funus peragitur;
- d) in festo Patroni principalis oppidi vel civitatis;
- e) in festo Tituli et Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, ad quam pertinet ecclesia in qua funus peragitur.

407. Si Officium alicuius festi, de quo n. 406, iuxta rubricas, in alium diem accidentaliter transferendum sit, Missa exsequialis prohibetur die quo festum impeditur ac permittitur die in quem transfertur Officium; si vero solemnitas externa alicuius festi fit in dominica, Missa exsequialis prohibetur die quo fit solemnitas externa, non autem die festo.

408. Quoties Missa exsequialis prohibetur, vel, ob rationabilem causam, in ipso actu funeris celebrari nequit, transferri potest in proximiorum diem similiter non impeditum.

409. In Commemoratione omnium Fidelium defunctorum pro Missa exsequiali sumitur prima Missa diei cum orationibus pro respectivo defuncto in Missa exsequiali dicendis. Si vero prima Missa celebratur pro Officio diei, pro Missa exsequiali sumitur secunda, aut denique tertia.

C) De Missis defunctorum II classis

I – De Missis defunctorum II classis in genere

410. Missa defunctorum II classis sunt:

- a) Missae pro die obitus;
- b) Missa post acceptum mortis nuntium;
- c) Missa in ultima defuncti sepultura.

411. Omnes Missae defunctorum II classis dicuntur ut in die obitus; permittuntur autem dummodo:

- a) pro ipso defuncto applicentur;
- b) non occurrat dies liturgicus I classis aut dominica quaevis.

Si Missa in die obitus dicitur ultra octiduum a die obitus seu sepulturae defuncti, in oratione et postcommunione omittitur adverbium *hodie*.

II – De Missis pro die obitus

412. Nomine «Missae pro die obitus» intelleguntur Missae quae pro aliquo defuncto celebrantur a die obitus usque ad diem sepulturae:

- a) sive in oratorio privato ipsius defuncti, dummodo cadaver sit physice praesens in domo;
- b) sive in ecclesia vel oratorio loci ubi defunctus obiit, sepelitur vel habuit domicilium;
- c) sive in ecclesia vel oratorio in quo celebratur Missa exsequialis, etsi a funere defuncti seiuncta.

III – De Missa post acceptum mortis nuntium

413. Nomine «Missae post acceptum mortis nuntium» intellegitur unica Missa quae pro aliquo defuncto dici potest in qualibet ecclesia vel oratorio, opportuniore die post acceptum mortis nuntium.

IV - De Missa in ultima defuncti sepultura

414. Nomine Missae in ultima defuncti sepultura intellegitur unica Missa, quae dici potest in ecclesia vel oratorio illius loci, ubi corpus defuncti iam humatum ad definitivam sepulturam defertur, eo ipso die eiusdem definitivae sepulturae.

D) *De Missis defunctorum III classis*

I – De Missis defunctorum III classis in genere

415. Missae defunctorum III classis sunt:

- a) Missa in die III, VII et XXX ab obitu vel sepultura defuncti;
- b) Missa «in anniversario»;
- c) Missa defunctorum in ecclesiis et sacellis coemeterii;
- d) Missae defunctorum intra octiduum Commemorationis omnium Fidelium defunctorum.

416. Missae defunctorum III classis prohibentur diebus liturgicis I et II classis; et adhibetur formula quae infra pro singulis Missis indicatur, nisi iuxta n. 394 prima Missa ex iis quae habentur in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum sumenda sit.

II – De Missa in die III, VII et XXX ab obitu vel sepultura

417. In die III, VII et XXX ab obitu vel sepultura defuncti computando, in qualibet ecclesia vel oratorio dici potest pro ipso defuncto *unica* Missa ut in die obitus, adhibitis orationibus propriis, quae in fine huius Missae inveniuntur. Quoties haec Missa a rubricis impeditur, transferri potest in proximiorum diem similiter non impeditum. Huiusmodi Missae plures esse possunt diebus quibus Missae defunctorum IV classis permittuntur.

III – De Missa «in anniversario»

418. Anniversarium *strictè sumptum* intellegitur annuus recursus diei obitus aut sepultura alicuius defuncti; *late sumptum* vero intellegitur aut anniversarium ex fundatione extra diem obitus vel sepulturae semel quolibet anno celebrandum, aut celebratio quae pro omnibus defunctis alicuius coetus, item semel quolibet anno, habetur, die aut ex fundatione vel consuetudine coetus statuto aut a coetu vel sacerdote celebrante statuendo.

419. His diebus, in qualibet ecclesia vel oratorio, permittitur *una* Missa quae dicenda est ut in anniversario; et quoties a rubricis prohibetur, transferri potest in proximiorum diem similiter non impeditum.

Huiusmodi Missae plures esse possunt diebus quibus Missae defunctorum IV classis permittuntur.

IV – De Missis in ecclesiis et sacellis coemeterii

420. Nomine ecclesiae vel sacelli coemeterii intellegitur:

- a) ecclesia vel oratorium publicum principale coemeterii, in quo actu cadavera sepeliuntur, dummodo huiusmodi ecclesia vel oratorium adnexum non habeat onus chorale aut curam animarum;
- b) sacellum alicuius particularis sepulcreti rite erecti intra fines coemeterii.

421. Missae quae his locis celebrantur, dummodo pro defunctis applicentur, dici possunt de requie, adhibita «Missa cotidiana» cum oratione convenienti.

V – De Missis defunctorum intra octiduum Commemorationis omnium Fidelium defunctorum

422. Intra octiduum a die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum inclusive computandum, omnes Missae, quae applicantur pro omnibus vel quibusdam defunctis, dici possunt de requie, adhibita Missa «cotidiana» cum oratione convenienti.

E) *De Missis defunctorum IV classis, seu «cotidianis»*

423. Missae defunctorum IV classis sunt aliae Missae defunctorum «cotidianae», quae celebrari possunt, loco Missae Officio diei respondentis, in feriis IV classis tantum, extra tempus natalicium.

Maxime convenit ut hae Missae defunctorum IV classis tunc tantum dicantur cum revera pro defunctis, aut in genere aut certo designatis, applicantur.

VIII – De diversis Missae partibus

A) De psalmo *Iudica me, Deus, confessione et altaris incensatione*

424. Psalmus *Iudica me, Deus*, cum sua antiphona, et confessio cum absoluteione dicuntur, ante gradus altaris, in qualibet Missa sive in cantu sive lecta; omittuntur autem una cum sequentibus versibus et orationibus *Aufer a nobis* et *Oramus te, Domine*, in:

- a) Missa festi Purificationis B. Mariae Virg., quae sequitur benedictionem et processionem candelarum;
- b) Missa feriae IV cinerum, quae dicitur post benedictionem et impositionem cinerum;
- c) Missa dominicae II Passionis seu in palmis, quae sequitur benedictionem et processionem ramorum;
- d) Missa Vigiliae paschalis;
- e) Missa Rogationum, quae sequitur processionem Litaniarum tam maiorum quam minorum;
- f) certis Missis, quae sequuntur quasdam consecrationes, ex rubricis Pontificalis romani.

425. Psalmus *Iudica me, Deus* omittitur:

- a) in Missis de Tempore, a dominica I Passionis usque ad feriam V in Cena Domini;
- b) in Missis defunctorum.

426. Incensationes quae in Missa solemniter fieri debent, fieri possunt etiam in omnibus Missis cantatis.

B) De antiphona ad Introitum, et Kyrie, eleison

427. Ad Introitum dicitur antiphona cum versu psalmi et *Gloria Patri*; atque, his expletis, repetitur antiphona.

Deest vero antiphona ad Introitum cum psalmo et *Gloria Patri* in Missa Vigiliae paschalis.

428. *Gloria Patri* ad Introitum omittitur in Missis de Tempore, a dominica I Passionis usque ad feriam V in Cena Domini, et in Missis defunctorum.

429. Tempore paschali antiphonae ad Introitum duplex additur *Alleluia*, nisi iam habeatur. E contra, in qualibet antiphona ad Introitum, *Alleluia* omittitur quoties Missa dicitur extra tempus paschale, nisi in quibusdam Missis aliter indicetur.

430. *Kyrie, eleison* dicitur novies post repetitam antiphonam ad Introitum, id est ter *Kyrie, eleison*, ter *Christe, eleison*, et ter *Kyrie, eleison*.

C) De hymno *Gloria in excelsis*

431. Hymnus *Gloria in excelsis* dicitur:

- a) in Missis quae respondent Officio diei, quotiescumque ad Matutinum dictus est hymnus *Te Deum*;
- b) in Missis festivis de quibus n. 302;
- c) in Missis feriae V in Cena Domini, et in Missa Vigiliae paschalis;
- d) in Missis votivis I, II et III classis, nisi adhibeatur color violaceus paramentorum;
- e) in Missis votivis IV classis de Angelis, quocumque die, et de B. Maria Virg. quae in sabbato celebrantur.

432. Hymnus *Gloria in excelsis* omittitur:

- a) in Missis quae respondent Officio diei, quando ad Matutinum omittitur hymnus *Te Deum*;
- b) in omnibus Missis in quibus adhibetur color violaceus paramentorum;
- c) in Missis votivis IV classis, iis exceptis de quibus n. 431 e;
- d) in Missis defunctorum.

D) De orationibus

433. Nomine orationum, in Missa, intellegi debent:

- a) oratio Missae quae celebratur;
- b) orationes Officii commemorati et alicuius commemorationis occurrentis;
- c) aliae orationes a rubricis praescriptae (nn. 447-453);
- d) oratio ab Ordinario loci imperata (nn. 454-460);
- e) oratio votiva, quae certis diebus liturgicis dici potest ad libitum sacerdotis celebrantis (nn. 461-465).

434. Numero orationum pro singulis diebus liturgicis statuto complectuntur tam oratio Missae et commemorationes quam aliae orationes sive a rubricis praescriptae sive ab Ordinario imperatae sive votivae. Proinde, post orationem Missae:

- a) in diebus liturgicis I classis, in Missis votivis I classis, et in Missis in cantu non conventualibus, nulla alia admittitur oratio, praeter orationem sub unica conclusione dicendam et unam commemorationem privilegiatam, salvo praescripto n. 333;
- b) in dominicis II classis, nulla alia admittitur oratio, praeter commemorationem festi II classis, quae tamen omittitur si commemoratio privilegiata facienda sit;

c) in aliis diebus liturgicis II classis et in Missis votivis II classis una tantum alia admittitur oratio, scilicet aut una privilegiata aut una ordinaria;

d) in diebus liturgicis III et IV classis et in Missis votivis III et IV classis duae tantum admittuntur orationes.

435. Quaelibet oratio, quae numerum pro singulis diebus liturgicis statutum superet, omittitur; profecto numerum ternarium orationum nullo praetextu excedere licet.

436. Oratio propria Missae semper dicitur sub sua conclusione, nisi ipsi alia oratio, sub eadem conclusione, iungenda sit, ut infra nn. 444-445 dicitur.

437. Sub altera conclusione semper dicuntur:

- a) commemorationes faciendae;
- b) oratio ab Ordinario loci imperata;
- c) oratio votiva.

438. Si duae orationes in prima aut in altera parte sint iisdem fere verbis compositae, oratio posterior:

- a) si est de Tempore, mutatur in aliam de sequenti dominica vel feria;
- b) si agitur de Sancto, mutatur in aliam de eodem vel simili Communi;
- c) si agitur de oratione imperata, omittitur.

439. In orationibus Officii translati vel repositi non sunt mutanda verba *hanc* vel *hodiernam* vel *praesentem diem*, aut similia.

440. Quoties in Missali dicenda occurrunt verba *Flectamus genua*, *Levate*, in Missa solemni a diacono, in ceteris Missis a celebrante proferenda sunt; et post *Flectamus genua*, omnes, una cum celebrante, flexis genibus, per aliquod temporis spatium in silentio orant; dicto *Levate*, omnes surgunt, et celebrans dicit orationem.

441. Ad qualitatem et numerum orationum in Missis defunctorum quod attinet, servantur ea quae, n. 398 tradita sunt.

II – De orationibus in Missis cum pluribus lectionibus

442. In Missis cum pluribus lectionibus (nn. 467-468) commemorationes et aliae orationes ponuntur post orationem quae praecedit ultimam lectionem seu Epistolam; et haec tantum oratio computatur ad numerum orationum definiendum.

443. Ad commemorandam feriam cuius Missa plures habet lectiones, sumitur prima oratio, scilicet ea quae dicta est in Laudibus.

III – De orationibus sub unica conclusione cum oratione Missae dicendis

444. Orationi Missae additur, sub unica conclusione, altera oratio, solummodo si agitur:

- a) de oratione rituali (n. 447);
- b) de oratione Missae votivae I aut II classis impeditae (nn. 330 c, 343 c);
- c) de alia oratione a rubricis expresse indicata aut concessa uti dicenda sub unica conclusione cum oratione

Missae (nn. 110, 355, 449, 451, 453).

445. Sub unica conclusione cum oratione Missae una tantum dici potest alia oratio.

Si vero plures orationes, iuxta rubricas, sub unica conclusione cum oratione Missae essent dicendae, una tantum retinetur, secundum ordinem supra; n. 444, descriptum; reliquae omittuntur.

446. Oratio dicenda sub unica conclusione cum oratione Missae una cum illa computatur; et dicenda est etiam in Missis in cantu.

IV – De orationibus ritualibus

447. Nomine «orationis ritualis» intellegitur oratio dicenda in Missa quae cum sequentibus benedictionibus vel consecrationibus connectitur:

- a) consecratione Episcopi,
- b) collatione sacrorum Ordinum,
- c) benedictione Abbatis,
- d) benedictione Abbatissae,
- e) benedictione et consecratione Virginum,
- f) benedictione coemeterii,
- g) reconciliatione ecclesiae,
- h) reconciliatione coemeterii.

Hae orationes, quae exstant inter Missas votivas ad diversa, semper addendae sunt, sub unica conclusione, orationi Missae.

448. In Missis in quibus additur oratio ritualis, excluduntur omnes aliae orationes, praeter commemorationes privilegiatas.

V – De orationibus in die coronationis Summi Pontificis
et in anniversariis Papae et Episcopi dioecesanii

449. In die coronationis Summi Pontificis et in anniversario eiusdem, necnon in anniversario aut electionis aut consecrationis aut translationis Episcopi dioecesanii (semel scilicet, die ab ipso Episcopo eligendo), in omnibus Missis, praeterquam defunctorum, additur, sub unica conclusione, cum oratione Missa, oratio pro Papa aut pro Episcopo, modo ne occurrat dies liturgicus sub nn. 1, 2, 3 et 8 in tabella praecedentiae recensitus (cfr. n. 363).

450. Quoties impeditur, oratio pro Papa aut pro Episcopo transfertur in proximiorum diem similiter non impeditum, eodem modo ac transfertur Missa conventualis pro iisdem anniversariis, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis (n. 364).

VI – De oratione pro seipso sacerdote in anniversario
propriae Ordinationis sacerdotalis

451. In anniversario propriae Ordinationis sacerdotalis, quilibet sacerdos orationi Missae sub unica conclusione, orationem pro seipso addere potest, modo ne occurrat dies liturgicus sub nn. 1, 2, 3 et 8 in tabella praecedentiae recensitus.

452. Quoties impeditur, oratio pro seipso sacerdote transferri potest in proximiorum diem similiter non impeditum.

VII – De oratione «Pro Fidei propagatione»

453. Paenultima dominica mensis octobris, aut alia ab Ordinario loci statuta « pro Missionibus», in omnibus Missis, orationi Missae additur, sub unica conclusione, oratio pro Fidei propagatione, exceptis diebus sub nn. 1, 2, 3 et 8 in tabella praecedentiae recensitis.

VIII – De oratione imperata

454. Nomine orationis imperatae intellegitur oratio, quam Ordinarius loci imperare potest, occurrente gravi et publica necessitate aut calamitate.

455. Tamquam imperata, ab Ordinario loci praescribi potest quaelibet oratio e Missis, quae tamquam votivae celebrari permittuntur, aut ex orationibus ad diversa, aut ex Missis et orationibus pro defunctis.

456. Maxime convenit ut Ordinarius loci orationem imperatam non modo stabili imponat, sed tantum ex causa revera gravi et per spatium quod tempus verae necessitatis non excedat.

457. Oratio imperata:

a) una tantum esse potest;

b) dici debet ab omnibus sacerdotibus Sacrum facientibus in ecclesiis et oratoriis, etiam exemptis, dioecesis;

c) numquam dicitur sub unica conclusione cum oratione Missa, sed post commemorationes privilegiatas ;

d) prohibetur omnibus diebus liturgicis I et II classis, in Missis votivis I et II classis, in Missis in cantu et quoties commemorationes privilegiatae numerum pro singulis diebus liturgicis statutum compleverint.

458. Oratio imperata pro defunctis dicitur tantum in feriis IV classis, et in Missis votivis aut defunctorum lectis IV classis.

459. In publica calamitate aut necessitate, natura sua per longius tempus persistente (v. gr. bello, pestilentia et similibus), Ordinarius loci imponere quidem potest orationem imperatam convenientem *pro toto tempore* infausti eventus; sed haec oratio:

a) dicitur tantummodo feriis secunda, quarta et sexta;

b) prohibetur iisdem diebus et in Missis de quibus supra, n. 457 d).

460. Occurrente urgentiore, gravi et publica necessitate aut calamitate, nec tempus suppetat adeundi Ordinarium loci, parochus, intra fines suae paroeciae, etiam pro ecclesiis et oratoriis exemptis, statuere potest orationem convenientem dicendam per tres dies continuos. Haec oratio iisdem diebus et in iisdem Missis prohibetur ac oratio ab Ordinario loci imperata (n. 457 d); quae, si dicenda esset, omittitur.

IX – De oratione votiva

461. Quilibet sacerdos addere potest unam orationem ad libitum in omnibus Missis lectis non conventualibus diebus liturgicis IV classis.

462. Oratio votiva eligi potest aut ex Missis, quae tamquam votiva celebrari permittuntur, aut ex orationibus ad diversa, aut ex Missis et orationibus pro defunctis.

463. Haec oratio ponitur ultimo loco, post alias orationes, non autem excedere debet numerum ternarium orationum.

464. Oratio votiva pro defunctis addi potest in Missis lectis non conventualibus defunctorum IV classis.

465. In oratione *A cunctis*, nominari potest sive Titularis propriae ecclesiae, sive quilibet Patronus principalis, sive Fundator aut Titulus Ordinis seu Congregationis. Ceterum servantur rubricae quae, pro hac oratione, in Missali inveniuntur.

E) De lectionibus et aliis usque ad Evangelium

466. Post orationes dicitur Epistola; qua finita, respondetur *Deo gratias*.

467. Epistolae praemittitur una lectio:

- a) in feriis IV Quatuor Temporum;
- b) in feria IV hebdomadae IV Quadragesimae;
- c) in feria IV Hebdomadae sanctae.

In fine huius lectionis respondetur *Deo gratias*.

468. Quinque lectiones praemittuntur Epistolae in sabbatis Quatuor Temporum; et in fine cuiusque lectionis, praeter quam post lectionem Danielis prophetae, respondetur *Deo gratias*.

In Missis conventualibus, et in Missis in quibus sacri Ordines conferuntur, semper dici debent omnes lectiones cum suis orationibus et versibus; in ceteris Missis, sive in cantu sive lectis, dici potest tantum prima oratio, quae respondet Officio, cum *Flectamus genua*, si dicendum est, et prima lectio cum suis versibus, deinde, dictis more solito *Dominus vobiscum*, *Et cum spiritu tuo* et *Oremus*, secunda oratio sine *Flectamus genua*, quam sequuntur aliae commemorationes forte occurrentes, et, omissis sequentibus lectionibus cum suis versibus et orationibus, statim subiungitur ultima lectio seu Epistola cum sequenti tractu et, sabbato post Pentecosten, cum sequentia.

472. In Hebdomada sancta, ante lectionem historiae Passionis Domini non dicitur *Dominus vobiscum*, neque *Sequentia sancti Evangelii*, *Gloria tibi, Domine*, sed *Passio Domini nostri Iesu Christi secundum N.*, et in fine non respondetur *Laus tibi, Christe*.

473. In Missis in cantu, ea omnia, quae diaconus vel subdiaconus aut lector, vi proprii officii cantant vel legunt, a celebrante omittuntur.

474. Post Evangelium, praesertim in dominicis et diebus festis de praecepto, habeatur, iuxta opportunitatem, brevis homilia ad populum.

Homilia vero, si fiat ab alio sacerdote ac celebrante, non superimponatur Missae celebrationi, impediendo fidelium participationem; proinde, hoc in casu, Missae celebratio suspendatur, et tantummodo expleta homilia resumatur.

F) De symbolo

475. Post Evangelium aut homiliam, dicitur symbolum:

- a) in qualibet dominica, etsi eius Officium alicui festo locum cedat, vel Missa votiva II classis celebretur;
- b) in festis I classis et in Missis votivis I classis;
- c) in festis II classis Domini et B. Mariae Virg.;
- d) per octavas Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes, etiam in festis occurrentibus et in Missis votivis;
- e) in festis natalitiis Apostolorum et Evangelistarum, necnon in festis Cathedrae S. Petri et S. Barnabae Ap.

476. Non dicitur symbolum:

- a) in Missis sive chrismatis sive in Cena Domini, feria V Hebdomadae sanctae, et in Missa Vigiliae paschalis;
- b) in festis II classis, iis exceptis quae supra, n. 475 c et e, recensentur;
- c) in Missis votivis II classis;
- d) in Missis festivis et votivis III et IV classis;
- e) ratione alicuius commemorationis in Missa occurrentis;
- f) in Missis defunctorum.

G) De antiphona ad Offertorium et de orationibus secretis

477. Post symbolum vel, si non est dicendum, post Evangelium aut homiliam, dicitur *Dominus vobiscum*, cui respondetur *Et cum spiritu tuo*, et *Oremus*; deinde antiphona ad Offertorium, quae deest tantum in Missa Vigiliae paschalis.

478. Tempore paschali, antiphonae ad Offertorium additur *Alleluia*, nisi iam habeatur. Retinetur vero *Alleluia*, quod aliquando invenitur in fine antiphonae ad Offertorium, extra tempus paschale, praeter quam a Septuagesima ad Pascha.

479. Oblatio hostiae et calicis, et quae sequuntur, fiunt ut in Ordine Missae.

480. Oratio «secretae» dicitur secreto, absque *Dominus vobiscum* et *Oremus*. Tot vero dicuntur orationes secretae, quot dictae sunt orationes in initio Missae. Dicuntur eodem ordine et concluduntur ac aliae orationes.

481. Conclusio ultimae orationis secretae dicitur secreto usque ad verba *Per omnia saecula saeculorum*, quae clara voce proferuntur.

H) De praefatione

482. Praefatio dicitur quae cuique Missae propria est; qua deficiente, dicitur praefatio de Tempore, secus communis.

483. Nulla commemoratio, in Missa occurrens, praefationem propriam inducit.

484. *Praefatio de Nativitate Domini* dicitur:

a) tamquam *propria* in Missis de Nativitate Domini et de eiusdem octava, necnon in festo Purificationis B. Mariae Virg.;

b) tamquam *de Tempore*, infra octavam Nativitatis Domini, etiam in Missis quae secus praefationem propriam habent, exceptis iis Missis quae praefationem propriam de divinis mysteriis vel Personis habent; et a die 2 ad 5 ianuarii.

485. *Praefatio de Epiphania Domini* dicitur:

a) tamquam *propria* in Missis de festo Epiphaniae et de Commemoratione Baptismatis D. N. Iesu Christi;

b) tamquam *de Tempore* diebus a 7 ad 13 ianuarii.

486. *Praefatio de Quadragesima* dicitur:

a) tamquam *propria* in Missis de Tempore a feria IV cinerum usque ad sabbatum ante dominicam I Passionis;

b) tamquam *de Tempore* in ceteris Missis quae celebrantur eodem tempore, et praefatione propria carent.

487. *Praefatio de sancta Cruce* dicitur:

a) tamquam *propria* in Missis de tempore a dominica I Passionis usque ad feriam V in Cena Domini; in Missis tam festivis quam votivis de sancta Cruce, de Passione Domini et instrumentis Passionis Domini, de pretiosissimo Sanguine D. N. Iesu Christi, de Ss.mo Redemptore;

b) tamquam *de Tempore* in omnibus Missis a dominica I Passionis usque ad feriam IV Hebdomadae sanctae, quae praefatione propria carent.

488. *Praefatio de Missa chrismatis* dicitur feria V in Cena Domini, in sua Missa.

489. *Praefatio paschalis* dicitur:

a) tamquam *propria* in Missis de Tempore a Missa Vigiliae paschalis usque ad vigiliam Ascensionis Domini;

b) tamquam *de Tempore* in ceteris Missis quae celebrantur eodem tempore, et praefatione propria carent.

490. *Praefatio de Ascensione Domini* dicitur:

a) tamquam *propria* in festo Ascensionis Domini;

b) tamquam *de Tempore* in omnibus Missis a feria VI post Ascensionem usque ad feriam VI ante vigiliam Pentecostes, quae praefatione propria carent.

491. *Praefatio de Ss.mo Corde Iesu* dicitur in Missis festivis et votivis de Ss.mo Corde Iesu.

492. *Praefatio de D. N. Iesu Christo Rege* dicitur in Missis festivis et votivis de D. N. Iesu Christo Rege.

493. *Praefatio de Spiritu Sancto* dicitur:

a) tamquam *propria* in Missis de Tempore a vigilia Pentecostes usque ad subsequens sabbatum; et in Missis festivis et votivis de Spiritu Sancto;

b) tamquam *de Tempore* in ceteris Missis quae celebrantur eodem tempore, et praefatione propria carent.

494. *Praefatio de Ss.ma Trinitate* dicitur:

a) tamquam *propria* in Missis de festo et votivis Ss.mae Trinitatis;

b) tamquam *de Tempore* in dominicis Adventus, et in omnibus dominicis II classis, extra tempus natalicium et paschale.

495. *Praefatio de beata Maria Virgine* dicitur in Missis festivis et votivis beatae Mariae Virginis, praeterquam in festo Purificationis B. Mariae Virg.

496. *Praefatio de S. Ioseph* dicitur in Missis festivis et votivis S. Ioseph.

497. *Praefatio de Apostolis* dicitur in Missis festivis et votivis Apostolorum et Evangelistarum.

498. *Praefatio communis* dicitur in Missis quae praefatione propria carent, nec sumere debent praefationem de Tempore.

499. *Praefatio defunctorum* dicitur in Missis defunctorum.

I) De Canone Missae et aliis usque ad postcommunem

500. Post praefationem et *Sanctus* dicitur Canon Missae secreto, ut in Ordine Missae.

501. Quoties infra Actionem *Communicantes*, *Hanc igitur* et *Qui pridie* variari contingit, suo loco in propriis Missis adnotatur.

Infra octavas Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes *Communicantes* et *Hanc igitur* propria dicuntur quoque in Missis quae non sunt de octava, etiamsi praefatione propria gaudeant.

502. Tempus proprium sanctae Communionis fidelibus distribuendae est infra Missam, post Communionem sacerdotis celebrantis, qui ipsemet eam petentibus distribuat, nisi propter grandem communicantium numerum conveniat, ut ab alio vel aliis sacerdotibus adiuvetur.

Dedecet vero omnino, ut in eodem altari, in quo actu Missa celebratur ab alio sacerdote sancta Communio distribuatur extra tempus Communionis proprium.

Ex rationabili porro causa permittitur quoque, sanctam Communionem distribuere, immediate ante vel post Missam, imo etiam, extra Missam, quibus in casibus adhibetur forma in Rituali Romano praescripta, tit. V, cap. II, nn. 1-10.

503. Quoties sancta Communio infra Missam distribuitur, celebrans, sumpto sacratissimo Sanguine, omissis confessione et absolutione, dictis tamen *Ecce Agnus Dei* et ter *Domine, non sum dignus*, immediate ad distributionem sanctae Eucharistiae procedit.

504. Expleto Canone et omnibus aliis usque ad Communionem, dicitur antiphona ad Communionem, cuius in fine, tempore paschali, additur *Alleluia*, nisi iam habeatur; retinetur vero *Alleluia*, quod aliquando invenitur in fine huius antiphonae, extra tempus paschale, praeter quam a Septuagesima ad Pascha.

505. Orationes post Communionem dicuntur eodem numero, modo et ordine ac orationes in principio Missae.

506. In Missis de feriis Quadragesimae et Passionis, excepto Triduo sacro, expleta ultima oratione post Communionem, additur Oratio super populum, quae dicitur semper sub sua conclusione, et cui praemittitur *Oremus. Humiliate capita vestra Deo*. Haec oratio dicenda est etiam cum tres orationes post Communionem iam praecesserint.

L) De conclusione Missae

507. In fine Missae dicitur *Ite, missa est*, cui respondetur *Deo gratias*.

Attamen:

a) in Missa vespertina in Cena Domini quam sequitur solemniter repositio Ss.mi Sacramenti, et in aliis Missis quas sequitur aliqua processio, dicitur *Benedicamus Domino*, cui respondetur *Deo gratias*;

b) infra octavam Paschatis, in Missis de Tempore, ad *Ite, missa est* et ad sequens *Deo gratias* duplex additur *Alleluia*;

c) in Missis defunctorum dicitur *Requiescant in pace*, cui respondetur *Amen*.

508. Dicto *Placeat*, datur benedictio, quae omittitur tantum cum dictum est *Benedicamus Domino* aut *Requiescant in pace*.

509. Pro ultimo Evangelio, in quavis Missa, regulariter sumitur initium Evangelii secundum Ioannem.

Attamen in dominica II Passionis seu in palmis, in omnibus Missis quae non sequuntur benedictionem et processionem ramorum dicitur ultimum Evangelium proprium.

510. Ultimum Evangelium penitus omittitur:

a) in Missis in quibus dictum est *Benedicamus Domino*, iuxta n. 507 a;

b) in festo Nativitatis Domini, ad tertiam Missam;

c) in dominica II Passionis seu in palmis, in Missa quae sequitur benedictionem et processionem ramorum;

d) in Missa Vigiliae paschalis;

e) in Missis defunctorum, cum sequitur absolutio super tumulum;

f) in certis Missis, quae sequuntur quasdam consecrationes, ex rubricis Pontificalis romani.

IX – De his quae clara voce aut secreto dicenda sunt in Missa

511. In Missa lecta, dicuntur clara voce:

a) verba *In nomine Patris, etc.*; psalmus *Iudica me, Deus*, cum sua antiphona; confessio et ea quae sequuntur usque ad *Oremus* inclusive; orationes vero *Aufer a nobis* et *Oramus te, Domine* dicuntur secreto;

b) antiphona ad Introitum cum suo versu et *Gloria Patri* necnon *Kyrie, eleison*;

c) hymnus *Gloria in excelsis*;

d) *Dominus vobiscum, Oremus, Flectamus genua - Levate*, orationes;

e) lectiones, Epistola, graduale, tractus, *Alleluia* cum suo versu, sequentia et Evangelium;

f) symbolum;

g) *Dominus vobiscum, Oremus* et antiphona ad Offertorium, necnon verba *Orate, fratres*;

h) praefatio et *Sanctus - Benedictus*;

i) verba *Nobis quoque peccatoribus*; oratio dominica cum sua praefatione; *Per omnia saecula saeculorum* et *Pax Domini sit semper vobiscum; Agnus Dei, etc.*; verba *Domine, non sum dignus* ante Communionem sacerdotis celebrantis; formulae ad Communionem fidelium; antiphona ad Communionem; *Dominus vobiscum* et postcommuniones; necnon verba *Humiliate capita vestra Deo* et oratio super populum;

l) *Ite, missa est* vel *Benedicamus Domino* aut *Requiescant in pace*; benedictio et ultimum Evangelium.

Cetera dicuntur secreto.

512. Sacerdos autem maxime curare debet ut ea quae clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quae legit, nec nimis morose, ne audientes taedio afficiat; neque etiam voce nimis elata, si in altari secundo celebrat, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit. Quae vero secreto dicenda sunt, ita pronuntiet, ut ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.

513. *In Missa solemni*, celebrans:

a) *dicit in cantu: Dominus vobiscum*, quoties occurrit, praeter quam in versibus post confessionem; orationes; *Oremus* ante antiphonam ad Offertorium, *Per omnia saecula saeculorum* cum praefatione; *Per omnia saecula saeculorum* cum *Pater noster* et sua praefatione; *Per omnia saecula saeculorum* cum *Pax Domini*;

b) *incipit in cantu: Gloria et Credo*, quando sunt dicenda;

c) *dicit clara voce* formulas ad Communionem fidelium et verba benedictionis in fine Missae;

d) *dicit voce convenienti* partes quibus ministri sacri respondere debent;

e) *dicit secreto* alia quae in Missa lecta dicuntur clara voce;

f) *omittit* ea quae a ministris sacris vel a lectore proferuntur.

514. *In Missis cantatis*, scilicet sine ministris sacris, celebrans tenetur servare ea quae numero praecedenti dicta sunt, et insuper tenetur partes ministris sacris proprias cantu proferre. Epistola a lectore cani potest. Quod si non cantetur a lectore, satius erit quod legatur sine cantu ab ipso celebrante, qui tamen potest Epistolam more solito cantare.

515. *Tonus solemnis*, in cantu orationum, praefationis et orationis dominicae, adhibetur:

a) in dominicis;

b) in Missis festivis et in Missa de Officio S. Mariae: in sabbato;

c) in vigiliis I classis;

d) feria V in Cena Domini et in Missa Vigiliae paschalis;

e) per octavas;

f) in Missis votivis I, II et III classis.

516. *Tonus ferialis* vero adhibetur:

a) in feriis;

b) in vigiliis II et III classis;

c) in Missis votivis IV classis;

d) in Missis defunctorum.

X – De ordine genuflectendi, sedendi et standi in Missa

517. *In Missa lecta*, sacerdos celebrans genuflectit:

a) quoties aut in Ritu servando in celebratione Missae, aut in Ordine Missae, aut in Proprio cuiusque Missae, adnotatur ipsum genuflectere debere;

b) quando Sacramentum in altari discoopertum apparet, quoties ad medium altaris accedit vel e medio discedit.

518. *In Missis in cantu*, sacerdos celebrans genuflectit:

a) quoties ipsi genuflectendum est in Missa lecta. Sed ad verba quae ab aliis cantanda sunt, non genuflectit dum ipse illa verba legit, sed dum aut a ministris aut a choro, iuxta rubricas, cantu proferuntur;

b) ad verba autem *Et incarnatus est*, in symbolo, sacerdos celebrans semper genuflectit, cum haec verba recitat; cum vero cantantur, si non sedet, iterum genua flectit; si autem sedet, non genuflectit sed caput tantum profunde inclinat apertum, praeter quam in tribus Missis Nativitatis Domini et in Missa Annuntiationis B. Mariae Virg., in quibus, dum haec verba cantantur, omnes genua flectunt.

519. *Ministri*, in Missis in cantu, semper genuflectunt cum sacerdote celebrante, praeterquam subdiaconus tenens librum ad Evangelium, et acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cum diaconus cantat illa verba, ad quae est genuflectendum, ipse versus librum, celebrans et omnes alii versus altare genuflectunt. Ad Consecrationem vero ministri utrumque genu flectunt.

520. In choro, qui non sunt Praelati genua flectunt ad confessionem cum suo psalmo et ad benedictionem celebrantis in fine Missae. Praelati autem et Canonici, ad benedictionem, caput profunde inclinant.

521. Insuper omnes, etiam Praelati, in choro genua flectunt:

a) ad Consecrationem;

b) ad Communionem fidelium;

c) in Missis feriarum Adventus, Quadragesimae et Passionis, Quatuor Temporum mensis septembris, vigiliarum II et III classis extra tempus paschale, et in Missis defunctorum: ad orationes ante Epistolam, dicto *Dominus vobiscum*; ab expleto *Sanctus* usque ad *Pater noster* cum sua praefatione exclusive; et ad orationes post Communionem et super populum;

d) quoties cantantur a ministris vel a choro verba quae genuflexionem requirunt.

522. Item in choro omnes unum genu flectunt:

- a) dum celebrans recitat verba symboli *Et incarnatus est etc.*;
- b) dum dicit verba ultimi Evangelii *Et Verbum caro factum est.*

523. In Missa solenni celebrans, medius inter diaconum et subdiaconum, sedere potest ad latus Epistolae, iuxta altare, dum cantantur *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, sequentia et *Credo*; alio tempore stat ad altare, vel genuflectit, ut supra. Haec valent quoque in Missa cantata.

524. In choro non sedent qui actu cantant, reliqui autem sedere possunt:

- a) quando celebrans sedet;
- b) dum cantantur lectiones et Epistola, graduale, tractus et *Alleluia* cum suo versu, et sequentia;
- c) ab Offertorio usque ad incensationem chori vel, si chorus non incensatur, usque ad praefationem;
- d) ab expleta Communionem usque ad *Dominus vobiscum* ante postcommunionem.

Ad alia stant vel genuflectunt, ut supra.

XI – De praeparatione altaris ad Missam

525. Altare, in quo sacrosanctum Missae Sacrificium celebrandum est, debet esse totum lapideum, rite consecratum; vel saltem habere debet tabulam lapideam, seu petram sacram, item rite consecratam, quae tam ampla sit ut hostiam et maiorem partem calicis capiat; aut etiam, ex Indulto Apostolico, *antimensium*, rite benedictum.

526. Altare cooperiatur tribus tobaleis, rite benedictis, quarum una ita oblonga sit ut, ad latera, usque ad terram pertingat.

527. Super altare adsit in medio Crux satis magna cum Crucifixo, et candelabra quae iuxta qualitatem Missae requiruntur, cum candelis accensis, hinc et inde in utroque eius latere. Ponantur insuper sic dictae «tabellae secretarum», sed pro tempore Missae tantum; et, ad latus Epistolae cussinus, seu legile, Missali supponendum.

528. Ad latus Epistolae, super mensa ad hoc praeparata, parentur ampullae vini et aquae cum pelvicula et manutergio, necnon parva campanula, et patina pro fidelium Communionem.

529. Super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missae sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertineat.

530. Usus accendendi cereum, prope altare, a Consecratione ad Communionem, ubi viget, servetur.

VARIATIONES IN BREVIARIO ET MISSALI ROMANO AD NORMAM NOVI CODICIS RUBRICARUM

I – Variationes in calendario

1. Festa, quae tamquam *duplicia I classis* in calendariis indicantur, abhinc fiunt *festa I classis*.
2. Festa, quae tamquam *duplicia II classis* in calendariis indicantur, abhinc fiunt *festa II classis*.
3. Festa, quae tamquam *duplicia maiora* aut *minora*; et festa, quae tamquam *semiduplicia* (ab anno 1955 tamquam *simplicia*) in calendariis indicantur, abhinc fiunt *festa III classis*.
4. Festa, quae tamquam *simplicia* in calendariis indicantur, et anno 1955 ad *commemorationem* sunt reducta, inscribuntur tamquam *commemorationes*.
5. Ad commemorationem insuper reducuntur:
 - a) festum S. Georgii Mart. (23 aprilis);
 - b) festum B. Mariae Virg. de Monte Carmelo (16 iulii);
 - c) festum S. Alexii Conf. (17 iulii);
 - d) festum Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. (8 augusti);
 - e) festum impressionis Stigmatum S. Francisci (17 septembris);
 - f) festum Ss. Eustachii et Sociorum, Mm. (20 septembris);
 - g) festum B. Mariae Virg. de Mercede (24 septembris);
 - h) festum S. Thomae Ep. et Mart. (29 decembris);
 - i) festum S. Silvestri I Papae et Conf. (31 decembris);
 - l) festum septem dolorum B. Mariae Virg. (feria VI post dominicam I Passionis).
6. Fiunt dies liturgici I classis:
 - a) Dies octavus Nativitatis Domini (1 ianuarii);
 - b) Commemoratio omnium Fidelium defunctorum (2 novembris), quae tamen locum cedere pergit dominicae occurrenti.
7. Fiunt dies liturgici II classis:
 - a) festum S. Familiae Iesu, Mariae, Ioseph (dominica I post Epiphaniam);
 - b) festum Cathedrae S. Petri Ap. (22 februarii);
 - c) festum Exaltationis S. Crucis (14 septembris).
8. E calendario expunguntur festa:
 - a) Cathedrae S. Petri Romae (18 ianuarii);
 - b) Inventionis S. Crucis (3 maii);
 - c) S. Ioannis ante Portam Latinam (6 maii);
 - d) Apparitionis S. Michaelis Archangeli (8 maii);
 - e) S. Leonis II (3 iulii);
 - f) S. Anacleti (13 iulii);
 - g) S. Petri ad Vincula (1 augusti);
 - h) Inventionis S. Stephani (3 augusti).
- Item, e calendario expungitur commemoratio S. Vitalis Mart. (28 aprilis).
9. In calendario inscribuntur festa:
 - a) Commemorationis Baptismatis D. N. I. C. (13 ianuarii);
 - b) S. Gregorii Barbadici Ep. et Conf. (17 iunii);
 - c) S. Antonii Mariae Claret Ep. et Conf. (23 octobris).
10. Transferuntur festa:
 - a) S. Irenaei, a die 28 iunii ad diem 3 iulii;
 - b) S. Ioannis Mariae Vianney, a die 9 ad diem 8 augusti.
11. Commemoratio Ss. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii Mm. transfertur a die 7 ad diem 8 octobris.
12. Mutatur denominatio:
 - a) festi Circumcisionis Domini, in «Octava Nativitatis Domini» (1 ianuarii);
 - b) festi Cathedrae S. Petri Ap. Antiochiae, in «Festum Cathedrae S. Petri Ap.» (22 februarii);
 - c) festi Ss. mi Rosarii B. Mariae Virg., in «Festum B. Mariae Virg. a Rosario» (7 octobris).

II – Variationes in ordinario divini Officii

13. Suffragium de omnibus Sanctis et commemoratio de Cruce abolentur.
14. Inter lectiones breves ad Primam, iuxta diversi anni Tempora, addantur sequentes:
 - a) *Tempore Nativitatis Domini*: Ipsi peribunt, tu autem permanebis; et omnes ut vestimentum veterascent: et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Tu autem.

b) *Tempore Epiphaniae*: Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. Tu autem.

c) *Tempore Ascensionis Domini*: Viri Galilæi, quid statis aspiciéntes in cælum? Hic Iesus, qui assúptus est a vobis in cælum, sic véniet, quemádmódu vidístis eum eúntem in cælum. Tu autem.

15. Indultum et indulgentiae, olim pro recitatione orationis *Sacrosanctae* concessa, antiphonae finali B. Mariae Virg. adnectuntur.

III – Variationes in psalterio

16. Quando psalmi ad Laudes sumendi sunt e secundo schemate, loco psalmi 117, qui in Laudibus recitatur ad Primam, dicitur psalmus 53, *Deus, in nómine tuo*.

17. Sabbato, quando ad Laudes alterum psalmodum schema recitandum occurrit, canticum Moysis *Auscultáte, cæli* (Audíte, cæli) dimittitur post versum *Petram, quæ genuit te, neglexísti *; et oblítus es Dei factóris tui* (Deum, qui te genuit, dereliquísti, * et oblítus es Dómini creatóris tui).

IV – Variationes in proprio de Tempore

18. Orationes pro diversitate Temporum abolentur.

19. Si vigilia Nativitatis Domini venerit in dominica, Officium ordinatur hoc modo:

a) *sabbato praecedenti, ad Vesperas*, omnia dicuntur ut in sabbato ante dominicam IV Adventus;

b) *ad Matutinum* dicitur unicum Nocturnum cum invitatorio de vigilia, hymno de Ordinario Adventus, novem antiphonis et novem psalmis de dominica tempore Adventus, versu et tribus lectionibus cum suis responsoriis de vigilia;

c) *ad Laudes et ad Horas minores* fit Officium festivum de vigilia, ut in Proprio, sine commemoratione dominicae.

20. In festo Nativitatis Domini et per octavam, ad Matutinum, Psalmus 88, *Grátias Dómini in ætérnum cantábo* (Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo) qui occurrit in tertio Nocturno, dimittitur post versum *Ut luna quæ manet in ætérnum * testis in cælo fidélis* (Et thronus eius sicut sol in conspéctu meo et sicut luna perfécta in ætérnum * et testis in cælo fidélis).

21. In festo Ss. Innocentium Mart. (28 decembris):

a) adhibetur color ruber paramentorum;

b) ad Matutinum, dicitur hymnus *Te Deum*;

c) in Missa, dicitur *Gloria in excelsis* et *Alleluia* cum suo versu.

22. Dies a 2 ad 5 ianuarii sunt feriae temporis Nativitatis Domini.

Ad Officium et Missam horum dierum quod attinet, haec animadvertantur:

a) *In Officio feriali*, antiphonae et psalmi, ad omnes Horas, et versus Nocturni sumuntur de currenti hebdomadae die, ut in Psalterio; lectiones de Scriptura occurrenti, cum suis responsoriis, et dicitur *Te Deum*; reliqua, una cum versu in responsorio brevi ad Primam, ut die 1 ianuarii.

Missa dicitur ut die 1 ianuarii, cum *Gloria* et praefatione de Nativitate, sine *Credo* et *Communicantes* proprio.

b) *In festis*, his diebus forte occurrentibus, retinetur versus in responsorio brevi ad Primam, ut die 1 ianuarii, nisi habeatur proprius; sed nulla fit commemoratio feriae.

23. Dies a 7 ad 12 ianuarii sunt feriae temporis Epiphaniae Domini.

Ad Officium et Missam horum dierum quod attinet, haec animadvertantur:

a) *In Officio feriali*, antiphonae et psalmi, ad omnes Horas, et versus Nocturni sumuntur de currenti hebdomadae die, ut in Psalterio; lectiones de Scriptura occurrenti cum responsoriis de Epiphania, et dicitur *Te Deum*; reliqua, una cum versu in responsorio brevi ad Primam, ut in festo Epiphaniae. Oratio dicitur ut in festo Epiphaniae; in feriis autem post dominicam I occurrentibus, de eadem dominica.

Diebus a 7 ad 12 ianuarii sumuntur etiam antiphonae ad *Benedictus* et ad *Magnificat*, quae singulis diebus propriae assignantur; die vero 12 ianuarii, ad *Magnificat*, resumitur antiphona ad *Magnificat* e II Vesperis Epiphaniae.

Missa dicitur ut in festo Epiphaniae; in feriis autem post dominicam I occurrentibus, de eadem dominica, cum *Gloria* et praefatione de Epiphania, sine *Credo* et *Communicantes* proprio.

b) *In festis*, his diebus occurrentibus, retinetur versus in responsorio brevi ad Primam de Epiphania Domini, nisi habeatur proprius; sed nulla fit commemoratio feriae.

24. Die 13 ianuarii fit *Commemoratio Baptismatis D. N. Iesu Christi* (II classis).

Ad Matutinum, Laudes, Vesperas et Completorium omnia dicuntur ut in festo Epiphaniae, sed Matutinum incipitur more solito, et in tertio Nocturno dicitur psalmus 86; lectiones trium Nocturnorum cum suis responsoriis, et oratio dicuntur ut die 13 ianuarii. Ad Horas minores dicuntur antiphonae et psalmi de currenti hebdomadae die, reliqua ut in festo Epiphaniae, excepta oratione.

Missa dicitur prouti in Missali habetur, die 13 ianuarii.

Quod si occurrat eodem die dominica I post Epiphaniam, fit Officium de S. Familia, sine commemoratione Baptismatis Domini et sine commemoratione dominicae. Tunc initium Epistolae I ad Corinthios legitur sabbato praecedenti.

25. Peculiaria pietatis exercitia, quae cum populi concursu, feria VI post dominicam I Passionis, in honorem B. Mariae Virg. Matris dolorosae peragi consueverunt, continuari possunt. Permittuntur etiam eo die, duae Missae festivae de septem doloribus B. Mariae Virg.

26. Pro antiphona *ad Magnificat*, ad Vesperas feriae VI, tempore Paschatis, sumitur antiphona *ad Magnificat* quae habetur ad II Vesperas dominicae praecedentis.

27. Post Officium dominicae V post Pascha, in *Breviario* ponatur sequens rubrica:

In Litanis minoribus

Litaniae minores seu Rogationes per se assignantur feriis II, III et IV ante festum Ascensionis Domini.

Ordinariis autem locorum facultas tribuitur eas transferendi ad alios tres dies continuos magis opportunos iuxta regionum diversitatem aut consuetudinem aut necessitatem.

De Litanis minoribus nihil fit in Officio.

Obligatio recitandi Litanias Sanctorum cum suis precibus, his diebus, urget tantum in processione aut aliis peculiaribus supplicationibus. Proinde, qui ad recitationem divini Officii obligantur, processioni vero aut aliis peculiaribus supplicationibus non intersunt, non tenentur dicere, his diebus, Litanias Sanctorum cum suis precibus.

In *Missali* autem, in Missa de Rogationibus, post epistolam, deleatur *Alleluia* cum suo versu, et eius loco ponatur graduale et *Alleluia* cum suo versu, necnon tractus, et *Alleluia* cum suis versibus, quae in Missa pro quacumque necessitate, iuxta diversa anni Tempora, inveniuntur. Verba demum: *praefatio paschalis*, deleantur.

28. Feria II infra hebdomadam V post Pascha, omissis lectionibus de homilia in evangelium Missae de Rogationibus, ponantur hae lectiones de Scriptura occurrenti:

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli

Lectio I

Cap. 2, 1-5

Deponentes ígitur omnem malítiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiões, sicut modo géniți infántes, rationábiles, sine dolo lac concupísците: ut in eo crescátis in salútem: si tamen gustástis, quóniam dulcis est Dóminus. Ad quem accedentes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, a Deo autem eléctum et honorificátum: et ipsi tamquam lápides vivi superaedificámini, domus spirituális, sacerdotium sanctum, offerre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Iesum Christum.

Resp. Dicant nunc, *ut adhuc hoc die.*

Lectio II

Cap. 2, 6-10

Propter quod cóntinet Scriptúra: Ecce, pono in Sion lápidem summum angulárem, eléctum, pretiósus: et qui crediderit in eum, non confundétur. Vobis ígitur honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput ánguli, et lapis offensionis, et petra scándali his, qui offéndunt verbo, nec credunt in quo et pósito sunt. Vos autem genus eléctum, regále sacerdotium, gens sancta, pópulus acquisitionis: ut virtutes annuntiétis eius, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum. Qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei: qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti.

Resp. Cantáte Dómino, *ut adhuc hoc die.*

Lectio III

Cap. 2, 11-17

Caríssimi: Obsecro vos tamquam ádvenas et peregrínos abstinére vos a carnálibus desidériis, quae mílitant advérsus ánimam, conversatióne vestram inter gentes habentes bonam: ut in eo, quod detréctant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis opéribus vos considerantes, gloríficent Deum in die visitatiónis. Subiecti ígitur estóte omni humánæ creatúre propter Deum: sive regi quasi præcellénti, sive dúcibus tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia sic est volúntas Dei, ut benefaciétes obmutéscere faciátis imprudentium hóminum ignorántiam: quasi líberi, et non quasi velámen habentes malítiæ libertátem, sed sicut servi Dei. Omnes honoráte: fraternitátem dilígite: Deum timéte: regem honorificáte.

In Officio feriali: Te Deum.

In Officio ordinario, resp.: Narrábo, *ut adhuc hoc die.*

Antiphonae *ad Benedictus* et *ad Magnificat* retinentur quae in *Breviario* nunc exstant.

29. Dies a feria VI post Ascensionem Domini usque ad vigiliam Pentecostes exclusive sunt feriae temporis Ascensionis.

Ad Officium et Missam horum dierum quod attinet, haec animadvertantur:

a) *In Officio feriali*, antiphonae et psalmi, ad omnes Horas, et versus Nocturni sumuntur de currenti hebdomadae die, ut in Psalterio pro tempore paschali; lectiones de Scriptura occurrenti, cum suis responsoriis, et dicitur *Te Deum*; reliqua, una cum versu in responsorio brevi ad Primam, ut in festo Ascensionis.

Missa dicitur ut in festo Ascensionis, cum *Gloria* et praefatione de Ascensione, sine *Credo* et *Communicantes* proprio.

b) In festis, his diebus occurrentibus, retinetur versus in responsorio brevi ad Primam de Ascensione, nisi habeatur proprius; sed nulla fit commemoratio feriae.

30. Dominica olim infra octavam Ascensionis inscribitur tantum «Dominica post Ascensionem». Eius Officium ordinatur hoc modo:

a) partes Ordinarii sumuntur e festo Ascensionis sicut in feriis huius temporis; capitula vero, antiphonae ad *Benedictus* et ad *Magnificat*, et oratio sunt propria;

b) ad I Vesperas, psalmi de sabbato dicuntur sub antiphona *Alleluia, alleluia, alleluia*;

c) ad Nocturnum, Laudes et Vesperas, psalmi de dominica dicuntur sub antiphona, *Alleluia, alleluia, alleluia* de tempore paschali;

d) lectiones et responsoria unici Nocturni sumuntur propria, prouti exstant in Breviario.

31. Feria V ante vigiliam Pentecostes, tamquam lectiones de Scriptura occurrenti, dicantur lectiones de Epistola tertia beati Ioannis Ap., quae nunc in Breviario assignantur feriae VI sequenti; item, feria VI ante vigiliam Pentecostes, lectiones de Epistola beati Iudae Ap., quae nunc in Breviario assignantur primo Nocturno vigiliae Pentecostes.

32. In vigilia Pentecostes dicitur Officium feriale, ut in Ordinario de tempore Ascensionis, cum tribus lectionibus de homilia in Evangelium diei. Oratio autem ad Laudes et ad Horas sumitur e dominica post Ascensionem.

In Missali, deleantur prophetiae, benedictio fontis et litaniae. Omnes Missae incipiunt more solito, psalmo *Iudica me, Deus*, et antiphona ad Introitum *Cum sanctificatus fuero*.

33. In festo Ss.mi Corporis Christi, ad Primam, dicitur versus *Qui sedes ad dexteram Patris*.

Dominicae et dies, olim infra octavam Ss.mi Corporis Christi et Ss.mi Cordis Iesu, celebrantur per omnia sicut reliquae dominicae et feriae per annum.

Responsoria post lectiones de Scriptura, his dominicis et feriis, dicuntur de tempore post Pentecosten, ut in Breviario habentur dominica IV post Pentecosten et feriis subsequentibus.

34. Peculiaria pietatis exercitia, quae cum populi concursu, diebus olim infra octavam Ss.mi Corporis Christi, ex traditione, celebrari consueverunt, continuari possunt. Ubi autem fit processio, his diebus, permittuntur duae Missae de Ss. Eucharistia, ad modum Missae votivae II classis.

35. Sabbato ante dominicam primam augusti, rubrica circa lectiones de Scriptura occurrenti, mutetur hoc modo:

Si prima dominica incidit a die 1 ad 3 augusti, tunc mensis habet quinque dominicas, et Scriptura occurrens legitur integra, ut in Breviario habetur.

Si vero prima dominica incidit in dies a 4 ad 7 augusti, mensis habet quatuor dominicas tantum, et de Scriptura occurrenti omittitur illa pars quae hebdomadae quintae assignata est.

36. Sabbato ante dominicam primam septembris, ponatur sequens rubrica:

Si prima dominica incidit in diem 1 vel 2 septembris, mensis habet quinque dominicas, et Scriptura occurrens absolvitur integra, ut in Breviario habetur.

Si vero prima dominica incidit in dies a 3 ad 7 septembris, tunc mensis habet quatuor dominicas tantum, et de Scriptura occurrenti omittitur illa pars quae hebdomadae quintae assignata est.

37. Ad Vesperas feriae IV et VI Quatuor Temporum mensis septembris, pro antiphona *ad Magnificat* repetitur antiphona quae, in iisdem feriis, habetur *ad Benedictus*.

38. Sabbato ante dominicam primam octobris, ponatur sequens rubrica:

Si prima dominica incidit in dies a 1 ad 3 octobris, mensis habet quinque dominicas, et Scriptura occurrens absolvitur integra, ut in Breviario habetur.

Si vero prima dominica incidit in dies a 4 ad 7 octobris, tunc mensis habet quatuor dominicas tantum, et de Scriptura occurrenti omittitur illa pars, quae tertiae hebdomadae assignata est.

39. Sabbato ante primam dominicam novembris, ponatur sequens rubrica:

Si prima dominica incidit in dies 1 vel 2 novembris, mensis habet quidem quinque dominicas, ultima tamen est prima Adventus, ita ut pro Scriptura occurrenti maneant quatuor tantum hebdomadae. Item quatuor dominicas tantum habet mensis, si prima dominica incidit in dies a 3 ad 5 novembris. His in casibus, de Scriptura occurrenti omittitur illa pars, quae secundae hebdomadae assignata est.

Si vero prima dominica incidit in dies 6 vel 7 novembris, mensis habet quidem quatuor dominicas, ultima tamen est prima Adventus, ita ut pro Scriptura occurrenti maneant tres hebdomadae tantum. Hoc in casu, de Scriptura occurrenti omittitur illa pars quae primae et secundae hebdomadae assignata est.

V – Variationes in proprio Sanctorum

40. In festis III classis, tam universalibus quam particularibus, quae ad Matutinum habent aut antiphonas proprias et psalmos de Communi, aut antiphonas proprias et psalmos specialiter assignatos, novem antiphonae et novem psalmi dicuntur continuatim cum unico versu tantum, qui invenitur post ultimam antiphonam.

41. In iisdem festis, de quibus numero praecedenti, duae lectiones de Scriptura sumuntur de Communi, olim I Nocturno assignatae, retentis primo et tertio e responsoriis propriis, quae in Breviario his festis assignata erant.

42. In festis III classis, tam universalibus quam particularibus, quae ad Matutinum habent tantum responsoria propria, dicuntur antiphonae et psalmi de feria currenti, cum duabus lectionibus de Scriptura occurrenti et primo ac tertio e responsoriis propriis, et tertia lectione propria, ut in aliis Officiis ordinariis.

43. In Conversione S. Pauli (25 ianuarii), ad Matutinum dicuntur tres lectiones de Actibus Apostolorum, quae olim primo Nocturno erant assignatae, cum primo et secundo responsorio ibidem notatis.

44. In festo S. Martinae (30 ianuarii), ad Matutinum dicitur hymnus *Martinae celebri* una cum altera parte *Non illam crucians*; ad Laudes autem et ad Vesperas sumitur hymnus *Tu natale solum*.

45. In festo Purificationis B. Mariae Virg. (2 februarii):

a) in Breviario, ponatur, in initio, haec rubrica: Festum Purificationis B. Mariae Virg. habetur tamquam festum Domini.

b) in Missali, ad benedictionem candelarum, omittitur antiphona *Exsurge* cum versu psalmi et *Gloria Patri*, necnon *Flectamus genua*; et ante orationem sacerdos dicit tantum *Dominus vobiscum* et *Oremus*.

46. In festis S. Venantii (18 maii), S. Mariae Magdalенаe Poenitentis (22 iulii) et S. Ioannis Cantii (20 octobris), ad Vesperas, dicitur hymnus qui nunc in Breviario assignatur I Vesperis.

47. Die 17 iunii, pro festo S. Gregorii Barbadici, ponantur hae partes propriae:

Oratio

Deus, qui beatum Gregorium Confessorem tuum atque Pontificem pastorali sollicitudine, et pauperum miseratione clarescere voluisti: concede propitius; ut, cuius merita celebramus, caritatis imitemur exempla. Per Dominum.

Lectio III

Gregorius Barbadicus, Venetiis perantiqua familia ortus, utriusque iuris lauream in Archigymnasio Patavino magna cum laude est adeptus. Undevigesimum annum agens, cum ad Monasteriensem pacis Conventum profectus esset, legato pontificio Fabio Chisio adhortante, ecclesiasticae militiae nomen dare constituit. Sacris initiatus, ab eodem Chisio, Alexandri septimi nomine ad Pontificatum assumpto, Bergomatum episcopus primum, mox, Cardinalium Collegio cooptatus, ad sedem Patavinam eligitur. In episcopali munere obeundo, sancto Carolo Borromeo sibi exemplo proposito, ad extremum usque spiritum adlaboravit ut, Sacrosanctae Tridentinae Synodi monitis et decretis innixus, evelleret vitia, virtutes induceret. In utraque diocesi Seminarium amplificavit, Patavinum praesertim bibliotheca auxit ac typographia, qua libri quoque ederentur inter populos proximi Orientis vulgandi. Cateheticam instructionem enixe fovit, et singulos diocesis pagos, docendo et hortando, alacer peragravit. Caritatis operibus ac vitae sanctitate refulsit, in egenos et pauperes adeo liberalis ut domesticam quoque supellectilem, vestes ac lectum in eorum auxilium erogaverit. Denique, post brevem lethalem morbum, placide obdormivit in Domino decimo quarto Kalendas iulias, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo. Quem, meritis ac virtutibus clarum, Clemens decimus tertius Beatorum, Ioannes vero vigesimus tertius Sanctorum numero accensuit.

Missa *Statuit*, de Communi Conf. Pont. I loco, cum oratione propria, ut supra.

48. Die 28 iunii, in vigilia Ss. Petri et Pauli App., lectiones de homilia in evangelium diei sumuntur e festo S. Pii X (3 septembris).

49. In festo S. Irenaei Ep. et Mart. (3 iulii), ponatur sequens lectio propria:

Lectio III

Irenaeus, non longe ab urbe Smyrna natus, iam inde a puero sese Polycarpo, Ioannis Evangelistae discipulo eidemque episcopo Smyrnaeorum, tradiderat in disciplinam. Polycarpo in caelum martyrii gloria sublato, cum incredibili studio flagraret discendi quae dogmata depositi loco custodienda ceteri accepissent, quos Apostoli instituerant; horum quam potuit plures convenerit, quaeque ab iisdem audivit, memori mente tenuit, ea deinceps opportune adversus haereses allaturus. In Galliam profectus, Ecclesiae Lugdunensis presbyter a Photino episcopo est constitutus; cui cum successisset, tam feliciter munus obiit episcopatus, ut sapientia, oratione exemploque suo non modo brevi cives lugdunenses omnes, sed multos etiam aliarum Galliarum urbium incolas superstitionem atque errorem abiecisse, dedissetque christianae militiae nomina viderit. Multa scripsit, quorum magna pars intercidit iniuria temporum. Exstant eius adversus haereses libri quinque, in quorum tertio libro grave imprimis atque praeclearum de Romana Ecclesia, deque illius episcoporum successione, divinae traditioni fidei, perpetua, certissima custode, testimonium dixit. Atque ad hanc, dixit, Ecclesiam propter potiore principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles. Martyrio coronatus, migravit in caelum anno salutis ducentesimo secundo.

50. In Commemoratione B. Mariae Virg. de Monte Carmelo (16 iulii):

a) in Breviario, post orationem, ponatur sequens rubrica: Si Commemoratio B. Mariae Virg. de Monte Carmelo venerit in sabbato, fit quidem Officium de S. Maria in sabbato, sed antiphona *ad Benedictus*, et oratio ad omnes Horas dicuntur ut supra;

b) in Missali autem ponatur sequens rubrica: Si Commemoratio B. Mariae Virg. de Monte Carmelo venerit in sabbato, Missa dici potest aut de sancta Maria in sabbato, aut propria de Commemoratione B. Mariae Virg. de Monte Carmelo.

51. In festo S. Laurentii de Brundusio, Conf. et Eccl. Doct. (21 iulii), ponatur sequens lectio propria:

Lectio III

Lauréntius, Brundúsii in Apúlia natus, aduléscens Ordinem Fratrum Mínorum Capuccínorum ingrédessus, philosophíam ac theológiam pénitus dídidit, complúres autem linguas et antíquas et recentióres cálluit. Sacérdos inaugurátus, prædicándi munus suscepit, quod per totam fere Itáliam aliásque Európæ regiónes indeféssus obívit. Singulári prudéntia consiliique dono præditus, univérso Ordini regéndo præféctus est, et a Summis Pontíficibus sæpe adhíbitus ad gravíssimas obeúndas legatiónes. Atque eius potíssimum opera efféctum est, ut príncipes christiáni cópias suas consociáverint contra ingruéntes Turcárum turmas: quibúscum exércitus christiánus in Hungária congréssus, Lauréntio præeúnte cum cruce, mílites ducésque cohortánte, celebérrimam rétulit victóriam. Inter tot vero tantáque negótia, religiósi hóminis virtútes heróico modo cóluit. Quidquid supérerat témporis, oratióni impédens, vitam interiorem cum extérna actuositate mirífice coniúnxit. Tandem Olisipóne, quo a pópulo neapolitáno orátor ad regem Hispániæ missus fúerat, libertátis christiánæ et iustítiæ strénuus assértor, quasi in acie occúbuit anno millésimo sexcentésimo undevicésimo. Multa reliquit scripta ad fidem cathólicam advérsus hæreses defendéndam, et ad sacras Lítteras explanándas. Eum Leo Papa décimus tértius in Sanctórum número rétulit, Ioánnes vero Papa vigésimus tértius univérsæ Ecclésiæ Doctórem declarávit.

52. In festo Transfigurationis Domini (6 augusti) psalmus 88, *Grátias Dómini in ætérnum cantábo* (Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo) qui occurrit in tertio Nocturno, dimittitur post versum *Nam Dómini est clipeus noster, * et Sancti Israël Rex noster* (Quia Dómini est assúptio nostra, * et sancti Israël regis nostri).

53. In festo S. Philippi Benitii Conf. (23 augusti), ponatur sequens lectio propria:

Lectio III

Philíppus, e nóbili Benitiórum família Floréntiæ natus, singulári visióne a beatíssima Vírgine in Servórum suórum famíliam, nuper institútam, est vocátus. Primum in Senárii montis antrum concéssit, ubi ásperam quidem iugi córporis castigatióne, sed Christi Dómini cruciátuum meditatióne, suávem duxit vitam; deínde per univérsam fere Európam magnámque Asiæ partem sodalícia septem dolórum Dei Matris instítuit. Sui Ordinis Generális invítus renuntiátus, divínæ caritátis ardóre veheménter accénsus, plúrimas Itáliæ urbes concúrsans, gliscéntes in eis cívium discórdias compósuit, multásque ad Románi Pontíficis obediéntiam revocávit, et perditíssimos hómines ad poeniténtiam perdúxit. Dénique Tudérti, anno millésimo ducentésimo octogésimo quinto, in Christi Dómini e cruce pendéntis ampléxu, quem suum appellábat librum, sanctíssime ex hac vita migrávit. Eum Clemens décimus, Póntífex máximus, Sanctórum número adscrípsit.

54. In festo B. Mariæ Virg. a Rosario (7 octobris), hymnus *Caelestis aulae nuntius*, qui in Breviario I Vesperis assignabatur, nisi I Vesperae alicubi dicendae sint, praemittitur hymno Matutini, ommissa conclusione.

55. Pro festo S. Antonii Mariae Claret, ponantur hae partes propriae:

Oratio

Deus, qui beátum Antónium Mariám Confessórem tuum atque Pontíficem, apostólicis virtútibus sublimásti, et per eum novas in Ecclésia clericórum ac vírginum famílias collegísti: concéde, quæsumus; ut, eius dirigéntibus mónitis ac suffragántibus méritis, animárum salútem quærerere iúgiter studeámns. Per Dóminum.

Lectio III

Antónius Maríá Claret, Salléntii in Hispánia, piis honestisque paréntibus natus, adolescens textóriam artem exércuit, sed dein, sacerdotio auctus, primum parœciále ministérium excóluit, póstea vero Romam venit ut a Propagándæ Fidei Congregatióne ad éxteras missiões mitterétur. Sed, Deo disponénte, Hispániam revérsus, missionárius apostólicus Catalúniam, et Fortunátas Insulas peragrávit. Bonórum librórum scriptor fecúndus, Congregatióne quoque Filiórum Immaculáti Cordis Mariæ fundávit. Archiepiscopáli sedi Sancti Iacóbi in Cuba præféctus, zelántis Pastóris virtútibus mire effúlsit; seminárium restítuit, doctrínam et disciplínam clericórum promovít, ópera sociála cóndidit, pro christiána filiárum institutióne Soróres Docéntes a Mariá Immaculáta instítuit. Matríti demum accersítus, ut Hispaniárum Regínæ a confessiõnibus et in gravíssimis ecclesiásticis negótiis a consiliis esset, austeritátis omniúmque virtútum exímium præbuit exémplar. In Vaticáno Concílio Románi Pontíficis infallibilitátem strénue defendit. Devotióne erga Sanctíssimum Sacraméntum et Cor Mariæ Immaculátum eiúsque Rosárium mirífice propagávit. Tandem, apud Fontem Frígídum, in Gállia, exsul móritur, anno millésimo octigentésimo septuagésimo. Quem, miraculis clarum, Pius Papa undécimus Beatórum, Pius vero duodécimus Sanctórum fastis adscrípsit.

Missa Sacerdotes tui, de Communi Conf. Pont. II loco, cum oratione propria, ut supra.

56. In festo S. Raphaëlis Archangeli (24 octobris), ad Matutinum dicuntur tres lectiones de libro Tobiae, quae olim primo Nocturno erant assignatae, cum primo et secundo responsorio ibidem notatis.

57. In festo D. N. Iesu Christi Regis, in tertio Nocturno, altera pars psalmi 88 *Si dereliquerint filii eius* (Si autem dereliquerint filii eius) dimittitur post versum *Ut luna quae manet in aeternum, * testis in caelo fidelis* (Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, * et testis in caelo fidelis).

58. Vesperae defunctorum, cum suo Completorio proprio, diei 1 novembris olim assignatae, transferuntur in Commemorationem omnium Fidelium defunctorum; sed si concurrant cum dominica, vel festo I classis, Officium Commemorationis omnium Fidelium defunctorum cessat post Nonam.

Celebratio tamen Vesperarum defunctorum post II Vesperas diei 1 novembris, quae pro pietate fidelium peragi consuevit, continuari potest, una cum aliis piis exercitiis forsitan consuetudine traditis, tamquam peculiare pietatis obsequium.

VI – Variationes in communi Sanctorum

59. In hymno *Iste Confessor*, tertius versus erit semper *Meruit supremos laudis honores*.

60. In *Communi Dedicationis ecclesiae*, in initio, ponatur sequens rubrica: Festum Dedicationis ecclesiae est festum Domini.

In ipso die Dedicationis ecclesiae, dicitur Officium de die liturgico occurrenti usque ad Nonam.

Ante reliquias Sanctorum, in altari ecclesiae consecrandae includendas, si commode fieri potest, celebrantur Vigiliae, et cantetur vel dicatur Matutinum, cum tribus Nocturnis, in honorem Sanctorum Martyrum, quorum reliquiae sunt recondendae. Invitentur quoque fideles ut his Vigiliis participent.

Qui vero Officio divino tenentur, obligationi suae satisfaciunt, pro Matutino, recitatione Nocturnorum in honorem Sanctorum Martyrum, in Vigiliis peracta.

A Vesperis ipsius diei Dedicationis, dicitur Officium de Dedicatione ecclesiae, quod protrahitur usque ad Completorium diei sequentis, et dicitur ad modum Officii festi I classis.

61. Officium votivum defunctorum, sive cum unico Nocturno, sive cum tribus recitetur, inchoatur semper cum invitatorio et suo psalmo; et, si dicitur pro defunctis in genere, concluditur cum oratione *Fidelium*.

VII – Variationes in Missis et orationibus votivis ad diversa

62. Missa votiva «Contra paganos» inscribatur «Missa pro Ecclesiae defensione»; Missa autem «Ad tollendum schisma» abhinc dicatur «Missa pro unitate Ecclesiae».

63. Inter orationes «diversas», oratio «Pro Imperatore romano» deleatur, et eius loco ponatur sequens:

Pro res publicas moderantibus

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, in cuius manu sunt ónnum potestátes et ónnum iura populórum: réspice benígus ad eos, qui nos in potestáte regunt; ut ubíque terrárum, délixtera tua protegénte, et religiónis intégritas, et pátriæ securítas indesinéter consístat. Per Dóminum.

Secreta

Propitiáre, Dómine, preces et hóstias famulórum tuórum, et propter nomen tuum pátriæ defénde rectóres; ut salus serviéntium tibi princípum, pax tuórum possit esse populórum. Per Dóminum.

Postcommunio

Prótege, Dómine, fámulos tuos subsídiiis pacis: et córporis et spirituálibus enútriens aliméntis, a cunctis hóstibus redde secuóros. Per Dóminum.

VARIATIONES IN MARTYROLOGIO ROMANO

I – Variationes in elogiis festorum et Officiorum mobilium

1. Pro festo sanctae Familiae.

Rubrica quae praecedit elogium respiciens hoc festum, sic corrigatur:

Sabbato ante dominicam, quae occurrere potest a die 7 ad diem 13 ianuarii inclusive.

2. Pro dominica I Passionis.

Lemma et elogium mutetur hoc modo:

Sabbato ante dominicam primam Passionis.

Dominica prima Passionis.

3. Pro commemoratione septem dolorum B. Mariae Virg.

Lemma et elogium hoc modo mutetur:

Feria quinta post dominicam primam Passionis.

Commemoratio septem dolorum beatissimae Virginis Mariae.

4. Pro dominica II Passionis.

Lemma et elogium mutetur hoc modo:

Sabbato ante dominicam secundam Passionis, seu in palmis.

Dominica secunda Passionis, seu in palmis, quando ...

5. Pro litanis maioribus.

Lemma mutetur hoc modo:

Feria tertia infra octavam Paschae, quoties ipsum Pascha, vel secunda feria infra octavam Paschae, in diem 25 aprilis inciderit.

6. Feria tertia ante dominicam tertiam post Pascha.

Deleatur lemma et elogium, respiciens solemnitatem sancti Ioseph.

7. Feria tertia ante dominicam quartam post Pascha.

Deleatur lemma et elogium, respiciens octavam solemnitatis sancti Ioseph.

8. Feria quarta infra octavam Ascensionis Domini.

Deleatur lemma et elogium, respiciens octavam Ascensionis Domini.

9. Feria quarta infra octavam sanctissimi Corporis Christi.

Deleatur lemma et elogium, respiciens octavam huius festivitatis.

10. Feria quinta infra octavam sacratissimi Cordis Iesu.

Deleatur lemma et elogium, respiciens octavam huius festi.

II – Variationes in corpore Martyrologii

11. Kalendis Ianuarii (1 ian.).

Primum elogium mutetur ut sequitur:

Octava Nativitatis Domini nostri Iesu Christi.

Secundo loco scribatur:

Circumcisio eiusdem Domini nostri Iesu Christi.

12. Quarto Nonas Ianuarii (2 ian.).

Deleatur primum elogium:

Octava sancti Stephani Protomartyris.

13. Tertio Nonas Ianuarii (3 ian.).

Deleatur primum elogium:

Octava sancti Ioannis, Apostoli et Evangelistae.

14. Pridie Nonas Ianuarii (4 ian.).

Deleatur primum elogium:

Octava sanctorum Innocentium Martyrum.

15. Nonis Ianuarii (5 ian.).

Deleatur primum elogium:

Vigilia Epiphaniae Domini.

16. Idibus Ianuarii (13 ian.).

Loco elogii: Octava Epiphaniae Domini, *ponatur* Commemoratio Baptismatis Domini nostri Iesu Christi.

17. Quintodecimo Kalendas Februarii (18 ian.).

Deleatur primum elogium:

Cathedra sancti Petri Apostoli, qua primum Romae sedit.

Initium elogii sequentis ita incipiat:

Romae Passio sanctae Priscae ...

18. Sexto Kalendas Februarii (27 ian.).

In elogio sanctae Angelae Mericiae mutantur ultima verba ut sequitur:

Eius tamen festivitas Kalendas Iunii celebratur.

19. Octavo Kalendas Martii (22 febr.).

Loco primi elogii Antiochiae Cathedrae ..., substituatur sequens:

Cathedra sancti Petri Apostoli, qua primum Romae sedit, *ex die 18 ianuarii.*

20. Septimo Kalendas Martii (23 febr.).

Deleatur primum elogium:

Vigilia sancti Matthiae Apostoli.

In anno bissextili, legitur tantum:

Commemoratio plurimorum...

21. Quarto Kalendas Maii (28 apr.).

Elogium S. Vitalis Martyris deleatur.

22. Kalendis Maii (1 maii).

Elogium Ss. Apostolorum Philippi et Iacobi transferatur in diem 11 eiusdem mensis, primo loco, et eius loco ponatur sequens:

Sollemnitatis sancti Ioseph opificis, Sponsi beatæ Mariæ Virginis, Confessoris, opificum Patroni.

In elogio S. Pii V dematur verbum item.

23. Quinto Nonas Maii (3 maii).

Elogium Inventionis S. Crucis ponatur, eodem die, ultimo loco.

In elogio Ss. Alexandri et sociorum, demantur verba Papæ primi.

24. Pridie Nonas Maii (6 maii).

Elogium S. Ioannis, Apostoli et Evangelistæ, ponatur eodem die, secundo loco.

25. Octavo Idus Maii (8 maii).

Elogium Apparitionis S. Michaëlis ponatur, eodem die, ultimo loco.

26. Pridie Kalendas Iunii (31 maii).

Primum elogium ponatur die sequenti, primo loco, et eius loco ponatur sequens:

Festum beatæ Mariæ Virginis Reginae.

27. Quintodecimo Kalendas Iulii (17 iunii).

Primo loco ponatur sequens elogium:

Sancti Gregorii Barbadici, Cardinalis, Episcopi et Confessoris, cuius dies natalis sequenti die recensetur.

28. Quartodecimo Kalendas Iulii (18 iunii).

Tertio loco ponatur hoc elogium:

Patavii Sancti Gregorii Barbadici, Veneti, Cardinalis et Bergomatis primum, deinde Patavinae dioceseos Episcopi, quem mira virtutum et pastoralis sapientiae laude conspicuum, Ioannes vigesimus tertius Sanctorum corona insignivit. Ipsi autem festum pridie huius diei celebratur.

29. Quarto Kalendas Iulii (28 iunii).

In fine elogii S. Irenæi addatur:

Ipsi tamen festivitas quinto Nonas Iulii celebratur.

30. Kalendis Iulii (1 iulii).

Deleatur primum elogium:

Octava Nativitatis sancti Ioannis Baptistæ.

31. Quinto Nonas Iulii (3 iulii).

Primo loco ponatur:

Sancti Irenæi, Episcopi et Martyris, qui migravit in caelum quarto Kalendas Iulii.

Elogium natalis S. Leonis ponatur eodem die, sexto loco, id est, post Ss. Martyres Marcum et Mucianum.

32. Pridie Nonas Iulii (6 iulii).

Deleatur primum elogium: Octava sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

33. Tertio Idus Iulii (13 iulii).

Elogium sancti Anacleti deleatur.

34. Decimo septimo Kalendas Augusti (16 iulii).

Initium primi elogii sic mutetur:

Commemoratio beatæ Mariæ...

35. Duodecimo Kalendas Augusti (21 iulii).

Primo loco ponatur sequens elogium:

Sancti Laurentii de Brundisio, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, qui sequenti die migravit in caelum.

36. Undecimo Kalendas Augusti (22 iulii).

Secundo loco ponatur hoc elogium:

Ulyssipone, in Lusitania, natalis sancti Laurentii de Brundisio, Confessoris, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, quem verbi Dei prædicatione, caelesti doctrina, pontificiis legationibus rebusque ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem feliciter gestis praeclarum, Leo Papa decimus tertius Sanctorum fastis adscripsit, et Summus Pontifex Ioannes vigesimus tertius universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, eiusque festum pridie huius diei celebrari iussit.

37. Nono Kalendas Augusti (24 iulii).

Deleatur primum elogium:

Vigilia sancti Iacobi Apostoli.

38. Quarto Kalendas Augusti (29 iulii).

Elogium S. Felicis secundi deleatur.

Sequens elogium ita reformatur:

Romae, via Portuensi, sanctorum Martyrum Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis, temporibus...

39. Kalendis Augusti (1 aug.).

Primum elogium ponatur ultimo loco, eodem die.

40. Tertio Nonas Augusti (3 aug.).

Elogium Inventionis S. Stephani, ultimo loco ponatur.

41. Pridie Nonas Augusti (4 aug.).

Elogium S. Ioannis Baptistae-Mariae Vianney (secundo loco) ita mutetur:

In vico Ars, ... quem Pius Papa Undecimus in Sanctorum numerum retulit, et omnium parochorum caelestem Patronum constituit. Ipsius tamen festum sexto Idus huius mensis recolitur.

42. Sexto Idus Augusti (8 aug.).

Primo loco ponatur elogium S. Ioannis Baptistae-Mariae Vianney, e sequenti die.

43. Sextodecimo Kalendas Septembris (17 aug.).

Deleatur primum elogium:

Octava sancti Laurentii Martyris.

44. Tertiodecimo Kalendas Septembris (20 aug.).

Secundo loco ponatur sequens elogium:

Romae depositio sancti Pii decimi, Papae et Confessoris, fidei integritate et ecclesiasticae libertatis propugnatoris invicti, religionisque zelo insignis, cuius festum tertio Nonas septembris recolitur.

45. Undecimo Kalendas Septembris (22 aug.).

Deleatur elogium:

Octava Assumptionis beatae Mariae Virginis.

In secundo elogio, quod fit primum, dematur verbum:

eiusdem.

46. Decimo Kalendas Septembris (23 aug.).

Deleatur primum elogium:

Vigilia sancti Bartholomaei Apostoli.

47. Tertio Nonas Septembris (3 sept.).

Primo loco ponatur hoc elogium:

Sancti Pii Papae decimi, cuius natalis dies tertiodecimo Kalendas septembris recensetur.

48. Decimo septimo Kalendas Octobris (15 sept.).

Deleatur primum elogium:

Octava Nativitatis beatae Mariae Virginis.

In sequenti elogio, quod fit primum, dematur verbum:

eiusdem.

49. Duodecimo Kalendas Octobris (20 sept.).

Deleatur primum elogium:

Vigilia sancti Matthaei, Apostoli et Evangelistae.

50. Octavo Kalendas Octobris (24 sept.).

In primo elogio, loco vocabuli festum, dicatur Commemoratio.

51. Nonis Octobris (7 oct.).

Initium primi elogii ita mutetur:

Festum beatae Mariae Virginis a Rosario; itemque ...

Tertio et quarto elogio addatur:

Eorum autem memoria sequenti die recolitur.

52. Octavo Idus Octobris (8 oct.).

Secundo loco ponatur hoc elogium:

Sanctorum Martyrum Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii, quorum dies natalis praecedenti die refertur.

53. Decimo Kalendas Novembris (23 oct.).

Primo loco ponatur sequens elogium:

Sancti Antonii Mariae Claret, Episcopi et Confessoris, cuius dies natalis sequenti die recensetur.

51. Nono Kalendas Novembris (21 oct.).

Elogium S. Antonii Mariae Claret ponatur secundo loco. Vocabulum autem Montis Frigidi corrigatur in Fontis Frigidi. In fine addatur:

Ipsius autem festum pridie huius diei celebratur.

55. Sexto Kalendas Novembris (27 oct.).

Deleatur primum elogium:

Vigilia sanctorum Apostolorum Simonis et Iudae.

56. Pridie Kalendas Novembris (31 oct.).

Deleatur primum elogium:

Vigilia omnium Sanctorum.

57. Sexto Idus Novembris (8 nov.).

Deleatur primum elogium:

Octava omnium Sanctorum.

58. Tertio Kalendas Decembris (29 nov.).

Deleatur primum elogium:

Vigilia sancti Andreae Apostoli.

59. Septimo Idus Decenbris (7 dec.).

Deleatur primum elogium:

Vigilia Conceptionis Immaculatae beatae Mariae Virginis.

60. Decimo octavo Kalendas Ianuarii (15 dec.).

Deleatur primum elogium:

Octava Conceptionis Immaculatae beatae Mariae Virginis.

61. Tertiodecimo Kalendas Ianuarii (20 dec.).

Deleatur primum elogium:

Vigilia sancti Thomae Apostoli.

DOCUMENTA
AD OFFICII DIVINI RECITATIONEM
MISSAEQUE CELEBRATIONEM SPECTANTIA

I

Decretum S. Rituum Congregationis¹

De precibus post Missae celebrationem recitandis

A nonnullis locorum Ordinariis Sacrae Rituum Congregationi quaesitum est, an Decretum n. 4305, diei 20 Iunii 1913, quod permittit preces in fine Missae omitti posse, quando Missa «cum aliqua solemnitate» celebratur, extendi possit etiam ad Missas sic dictas «dialogatas», quae fiunt iuxta Instructionem S. Rituum Congregationis, diei 3 Septembris 1958, n. 31.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, ita rescribendum censuit: *Affirmative, et ad mentem.*

Mens autem est: Preces sic dictas Leoninas omitti posse:

1. cum Missa celebretur pro Sponsis, aut occasione primae Communionis, Communionis Generalis, Sacrae Confirmationis, Sacrae Ordinationis, vel Religiosae Professionis;
2. cum Missam immediate ac rite subsequatur aliqua alia functio seu pium exercitium;
3. cum infra Missae celebrationem habeatur homilia;
4. cum fit Missa dialogata, diebus Dominicis et Festis tantum.
5. Insuper locorum Ordinarii permittere possunt ut praedictae preces dicantur lingua vernacula, textu ab ipsis approbato.

Facta demum de iis omnibus Sanctissimo Domino nostro Ioanni Papae XXIII per infrascriptum Sacrae Rituum Congregationis Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua Sacrae ipsius Congregationis rescriptum probare et confirmare benigne dignata est. Quibuslibet contrariis non obstantibus.

Die 9 Martii 1960.

✠ C. Card. CICOGNANI, *Praefectus*

L. ✠ S.

Henricus Dante, *a Secretis*

II

Declaratio S. Rituum Congregationis²

De commemoratione feriae IV classis

Cum huic S. Rituum Congregationi nonnulla dubia oblata sint circa commemorationem feriae IV classis tum in Missis festivis sensu latiore tum in Missis votivis, haec S. Rituum Congregatio, ad maiorem simplicitatem obtinendam in universa materia de commemorationibus, declarandum esse censuit: feriam IV classis numquam esse commemorandam in Missis cum festivis tum votivis, ne conventualibus quidem.

Statuit proinde ut in Codice rubricarum sequentia mutantur:

a) n. 26 scribatur: «Omnes feriae, nn. 23-25 non nominatae, sunt feriae IV classis; quae numquam commemorantur».

b) n. 289 in initio scribatur: «In omnibus feriis IV classis ... dici potest, sine commemoratione feriae:».

c) Altera pars n. 299 ita scribatur: «In reliquis feriis dicitur Missa dominicae praecedentis, nisi a rubricis aliter provisum sit».

Romae, ex Aedibus S. Rituum Congregationis, die 27 Maii 1961.

✠ C. Card. CICOGNANI, Ep. Tusculan., *Praefectus*

L. ✠ S.

Henricus Dante, *a Secretis*

¹ A. A. S. 52 (1960) 360.

² A. A. S. 53 (1961) 388.

III

Communicatio S. Rituum Congregationis³

Cum uterque clerus Italiae teneatur, ad normam rubricarum, festa S. Francisci Assisiensis, Conf., atque S. Catharinae Senensis, Virg., Italiae Patronorum principalium, gradu I classis celebrare, curent Ordinarii ut, in Propriis conficiendis, tres lectiones historicae propriae utriusque Sancti inserantur; et in fine sextae lectionis addatur:

In festo S. Francisci Assisiensi, Conf. (die 4 octobris):

Pius vero Papa duodecimus, una cum sancta Catharina Senensi, principalem Italiae Patronum declaravit atque constituit.

In festo S. Catharinae Senensi, Virg. (die 30 aprilis):

Pius vero Papa duodecimus, una cum sancto Francisco Assisiensi, principalem Italiae Patronam declaravit atque constituit.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, ex aedibus Sacrae Rituum Congregationis, die 5 Augusti 1961.

✠ C. Card. CICOGNANI, Ep. Tusculan., *Praefectus*

L. ✠ S.

Henricus Dante, *a Secretis*

IV

Declaratio S. Rituum Congregationis⁴

Circa quaedam dubia quae in rubricarum Codice interpretando orta sunt

Ut nonnullis petitionibus circa externam festorum solemnitatem satisfiat, haec Sacra Congregatio, audito Commissionis liturgicae suffragio, numeros Codicis Rubricarum, qui sequuntur, ita definiendos esse statuit:

N. 358. – Solemnitas externa ipso iure competit dumtaxat:

- a) festo Ss.mi Cordis Iesu;
- b) festo B. Mariae Virg. a Rosario, in dominica I mensis octobris;
- c) festo Purificationis B.M.V., si actio liturgica huic diei propria, approbante Sancta Sede, in dominicam transferatur, pro ea tantum Missa, quae candelarum benedictionem et processionem sequitur;
- d) festo Patroni principalis, rite constituti, nationis, regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis, dioecesis, loci seu oppidi vel civitatis;
- e) festo Patroni principalis, rite constituti, Ordinis seu Congregationis, et religiosae provinciae;
- f) festo Patroni, rite constituti, coetuum vel institutionum, in ecclesiis vel oratoriis, quo fideles ad Patronum celebrandum conveniunt;
- g) festis anniversarii Dedicationis necnon Tituli propriae ecclesiae;
- h) festis Tituli necnon Fundatoris canonizati Ordinis seu Congregationis;
- i) festis aut commemorationibus, in calendario Ecclesiae universae vel in calendario proprio inscriptis, quae cum peculiari populi concursu celebrantur: cuius rei iudex est loci Ordinarius.

N. 359. – Solemnitas externa, si ipso iure competat nec supra, n. 358, pro quibusdam solemnitatibus externis aliter statuatur, fieri potest aut ipso die quo festum impeditur, aut in dominica immediate praecedenti vel immediate sequenti Officium festi impediti, aut alio die ab Ordinario loci determinando, iuxta rubricas.

Si vero peculiari indulto conceditur, solemnitas externa diei definito assignatur.

Romae, ex Aedibus Sacrae Rituum Congregationis, die 2 Ianuarii 1962.

✠ C. Card. CICOGNANI, Ep. Tusculan., *Praefectus*

L. ✠ S.

Henricus Dante, *a Secretis*

³ A. A. S. 53 (1961) 630.

⁴ A. A. S. 54 (1962) 51.

V

Ex Ordinationibus S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus⁵*ad Constitutionem Apostolicam «Veterum Sapientia» rite exsequendam*Cap. I, Art. IV. – *De latinae linguae pronuntiatione.*

Quod ad pronuntiandi rationem attinet, quamvis nihil detrahendum sit ei, quam «classicam» vocant, quaeque, cum sit in pluribus celsioribus praesertim scholis recenter restituta, utique cognoscenda est, attamen, ut iam S. Pius X⁶ et Pius XI⁷ monuere, ea pronuntiatio, uniformitatis causa, in usu retineatur, quae «romana» dicitur, quippe quae non modo «intime conexas sit cum instauratione cantus gregoriani, ad cuius numeros modosque formandos multum valuit usitata eo tempore ratio accentuum et pronuntiationis linguae latinae», et maxime apta «ad unitatem liturgicam in dies solidandam»,⁸ sed etiam sit in usu numquam intermisso in Ecclesia et in plurium gentium scholis a saeculo circiter quarto, ita ut fere internationalis seu communis evaserit; sitque insuper pronuntiatio, qua legebantur ecclesiastica documenta cum exarata sunt, qua igitur legi etiamnunc debent.

VI

Decretum S. Rituum Congregationis⁹*De S. Ioseph nomine Canonis Missae inserendo*

Novis hisce temporibus Summi Pontifices non unam nacti sunt occasionem ut ritibus sollemnioribus cultum S. Ioseph, inclyti Beatae Mariae Virginis Sponsi, augerent. Prae omnibus autem Pius Papa IX eminent, qui votis Concilii Vaticani I annuens, Ecclesiae universae castissimum Deiparae Virginis Sponsum, die octava Decembris anni 1870, caelestem Patronum designavit. Praedecessorum suorum vestigia persequens Sanctissimus D. N. Ioannis Papa XXIII eundem Sanctum Ioseph non tantum Concilii Vaticani II, quod Ipse indixit, «Praestitem salutarem» constituit, sed motu proprio etiam decrevit Eius nomen, tanquam optatum mnemosynon et fructus ipsius Concilii, ut in Canone Missae recitaretur. Quod consilium die 13 Novembris proxima superiori per Cardinalem suum a Status secretis, Concilii Patribus in Vaticana Basilica congregatis publice aperuit iussitque ut praescriptum inde a die octava proximi mensis Decembris, in festo scilicet Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis Mariae, in praxim deduceretur.

Quapropter haec S. Rituum Congregatio, voluntatem Summi Pontificis prosecuta, decernit ut infra Actionem, post verba: «*Communicantes ... Domini nostri Iesu Christi*», haec addantur: «*sed et beati Ioseph eiusdem Virginis Sponsi*» et deinde prosequatur: «*et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum ...*».

Statuit etiam ipsa S. Congregatio ut huiusmodi praescriptum diebus quoque observetur in quibus peculiaris formula «*Communicantes*» in Missali praescribitur. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 13 Novembris 1962.

A. Card. LARRAONA, *Praefectus*

L. ✠ S.

† Henricus Dante, Archiep. Carpasien., *a Secretis*

⁵ Die 22 Aprilis 1962: A. A. S. 54 (1962) 345.

⁶ S. Pius X, Epist. *Votre Lettre*, ad Ludovicum Ernestum Dubois, Archiep. Bituricensem, 10 Iul. 1912: A. A. S. IV (1912) p. 578.

⁷ Pius XI, Epist. ad Ludovicum Card. Dubois, Archiep. Parisien., 28 Nov. 1928.

⁸ S. Pius X, l. c. (Epist. *Votre Lettre*).

⁹ A. A. S. 54 (1962) 873.

ORDO SERVANDUS
IN CELEBRANDIS MISSIS VOTIVIS LECTIS¹ IV CLASSIS

Missa votiva	Color (⁷)	Missa	Gloria	Orationes	Credo	Praef.
De Ss. Trinitate	Alb.	Propr.	Omitt.	2 diei curr. (³)	Omitt.	Propr.
De Spiritu Sancto	Rubr.	Propr.	Omitt.	2 diei curr. (³)	Omitt.	Propr.
De Ss. Sacramento	Alb.	Propr.	Omitt.	2 diei curr. (³)	Omitt.	Comm. (⁵)
De Passione	Rubr.	Propr.	Omitt.	2 diei curr. (³)	Omitt.	De Cruce
De S. Cruce	Rubr.	Propr.	Omitt.	2 diei curr. (³)	Omitt.	De Cruce
De Ss. Corde Iesu	Alb.	Propr.	Omitt.	2 diei curr. (³)	Omitt.	Propr.
De B.M.V. (¹)	Alb.	Propr.	Omitt. nisi in sabb.	2 diei curr. (³)	Omitt.	Propr.
De Angelis	Alb.	Propr.	Dicitur	2 diei curr. (³)	Omitt.	Comm. (⁵)
S. Ioseph Sp. B.M.V.	Alb.	Propr.	Omitt.	2 diei curr. (³)	Omitt.	Propr.
De Apostolis	Rubr. (⁸)	Propr.	Omitt.	2 diei curr. (³)	Omitt.	Propr.
De Sanctis (²)	Ut in eorum festo	Propr. vel de Comm.	Omitt.	2 diei curr. (³)	Omitt.	Propr. vel Comm. (⁵)
Pro quac. neces. (⁶)	Viol.	Propr.	Omitt.	2 diei curr. (³)	Omitt.	Comm. (⁵)
Pro defunctis	Nig.	Ut in Missali	Omitt.	unica vel pl. iuxta rub. (³)	Omitt.	Propr.

¹ Hic ordo servatur etiam in Missis in cantu, iis exceptis quae ad commemorationem spectant.

ADNOTATIONES

1. De beata Maria Virgine celebrari possunt, tamquam votivae: *a*) in Ecclesia universa, Missae quae pro sancta Maria in sabbato, iuxta temporum diversitatem, in Missali assignantur, necnon omnes Missae de festis B. Mariae Virg. quae in calendario universali inscribuntur; *b*) in singulis ecclesiis, praeter Missas supra memoratas, omnes Missae de festis B. Mariae Virg. quae in calendariis particularibus inscribuntur, et aliae Missae votivae specialiter concessae. Celebrari tamen nequeunt, tamquam votivae, Missae quae referuntur ad mysteria vitae eiusdem B. Mariae Virginis, excepta Missa de eiusdem Immaculata Conceptione (RM, n. 309).

2. Missae votivae de Beatis permittuntur, ex Apostolico Indulto, unice in triduo quod in eorum honorem celebratur intra annum a beatificatione (RM, n. 312).

3. Idest 2^a or. et 3^a (si adest) de Officio occurrenti (non autem de feria IV classis); quoad collectam a loci Ordinario imperata: cfr. RM, n. 454-460.

4. Omnes Missae defunctorum, sive in cantu sive lectae, per se dicuntur cum unica oratione, nisi oratio imperata pro defunctis addi debeat (RM, n. 458), vel oratio votiva pro defunctis addi possit (RM, n. 464); in Missis defunctorum IV classis, si pro certis defunctis applicentur, dicitur oratio conveniens, ut in Missali inter orationes diversas pro defunctis; si applicentur pro defunctis in genere, vel designatio ignoretur, dicitur oratio *Fidelium* (RM, n. 398 *a, b*).

5. Praefatio dicitur quae cuique Missae propria est; qua deficiente, dicitur praefatio de Tempore, secus communis (RM, n. 482).

6. Vel pro infirmis, pro Fidei Propagatione, etc.

7. Color paramentorum, in Missis votivis, debet esse cuique Missae conveniens; sed in Missis votivis lectis IV classis non conventualibus, adhiberi potest etiam color Officii diei, servato tamen colore violaceo et nigro unice pro Missis quibus per se competit (RM, n. 323).

8. In Missa votiva S. Ioannis Ap. et Ev. adhibetur color *albus* (RG, 120 *f*).

DE MISSA CONVENTUALI IN FERIIS IV CLASSIS

(RM, nn. 289-290)

1. In omnibus feriis IV classis, nisi aliter praescribatur, loco Missae conventuali Officio conformis, dici potest:

2. FERIA II:

a) aut Missa quae respondet commemorationi in Officio diei currentis, ut singulis diebus in calendario indicatur;

b) aut Missa de Mysterio, Sancto vel Beato, cuius elogium eo die habetur in Martyrologio vel eius Appendice pro respectivis Ecclesiis approbata: Missa pr. vel de Communi, *Gloria*, comm. Sancti forte occurrentis, sine comm. feriae, sine *Credo*, praef. conveniens (RM, n. 482), *Ite, missa est*;

c) aut Missa de Ss.ma Trinitate (*alb.*), sine *Gloria*, comm. Sancti forte occurrentis, sine comm. feriae, sine *Credo*, praef. Trinit., *Ite, missa est*;

d) aut quaelibet alia Missa, quae tamquam votiva celebrari permittitur;

8. *Alb.* Feria II. IN NATIVITATE B. M. V., *II cl.* – Off. semifestivum. – Ad MAT. 3 Noct. – Ad † LAUDES ant. pr., pss. de dom., comm. S. Hadriani M. – Ad HORAS ant. et pss. de feria. – Ad Primam in ℞ br. ℣ *Qui natus*.

O.C. MISSA pr., *Gloria*, comm. S. Hadriani, *Credo*, praef. B. M. V. *Et te in nativitate*.

Ad VESPERAS ant. pr., pss. de Comm. – Compl. de dom.

Hodie permittuntur tantum Missae votivae et defunctorum I et II classis.

9. *Vir.* Feria III post Dom. XVII post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES or. dom. praec., comm. S. Gorgonii M. – Ad Primam cap. *Regi*.

V. MISSA dom. praec., sine *Gloria*, comm. S. Gorgonii, sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est.* – Vel Missa S. Gorgonii (*rub.*) *Laetabitur, Gloria*, ors. pr., praef. comm.

VESPERAE de feria, or. dom. praec., sine comm.

Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 3, p. 76.

10. *Alb.* Feria IV. **S. Nicolai de Tolentino C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.

MISSA *Iustus, Gloria*, praef. comm.

VESPERAE de festo.

11. *Vir.* Feria V post Dom. XVII post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES or. dom. praec., comm. Ss. Proti et Hyacinthi Mm. – Ad Primam cap. *Regi*.

V. MISSA dom. praec., sine *Gloria*, comm. Ss. Proti et Hyacinthi, sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est.* – Vel Missa Ss. Proti et Hyacinthi (*rub.*) *Salus, Gloria*, or. pr., praef. comm.

VESPERAE de feria, or. dom. praec., sine comm.

Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 5, p. 77.

12. *Alb.* Feria VI. **SS. Nominis Mariae, III cl.** – Off. ordinarium, abs. *Exaudi*, ben. *Ille nos, Cuius, Ad societatem.* – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad Primam in ℞ br. ℣ *Qui natus*.

MISSA pr., *Gloria*, sine *Credo*, praef. B. M. V. *Et te in festivitate*.

VESPERAE de festo. – Compl. de feria.

- 13. Alb. Sabb. De S. Maria in Sabbato, IV cl.** – Off. in Psalt. et in pr. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 pr. *Sacramentum, Te Deum.* – Ad LAUDES *ad Bened.* ant. *Beata Dei Genetrix, or. Concede.* – Ad Primam in \mathcal{R} br. \mathcal{V} *Qui natus.*
- V.** MISSA *Salve V* (a Pent. usque ad Advent.), *Gloria*, praef. B. M. V. *Et te in veneratione.*
- I VESPERAE de seq. festo, ant. pr., pss. de dom. (ult. ps. 116), nulla comm. – Compl. de dom. – *Rub.*
- De Dom. XVIII post Pent. nihil fit.
- 14. Rub. Dom. XVIII post Pent., II Sept. – IN EXALTATIONE S. CRUCIS, II cl.** – Off. semifestiv.
- ✠ – Ad MAT. 3 Noct. – Ad LAUDES ant. pr., pss. de dom., nulla comm. – Ad HORAS ant. et pss. de dom.
- O.C.** MISSA pr., *Gloria*, nulla comm., *Credo*, praef. de S. Cruce.
- Ad VESPERAS ant. pr., pss. de dom. (ult. ps. 116), nulla comm. – Compl. de dom.
- In Epistola ad verba *Ut in nomine Iesu*, usque ad *inferorum* inclusive genuflectitur, item in Choro ab omnibus in Missa in cantu.
- Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.
- 15. Alb. Feria II. SEPTEM DOLORUM B. M. V., II cl.** – Off. semifestivum. – Ad MAT. 3 Noct. – Ad LAUDES ant. pr., pss. de dom., comm. S. Nicomedis M. – Ad HORAS ant. et pss. de feria. – Ad Primam in \mathcal{R} br. \mathcal{V} *Qui passus.*
- O.C.** MISSA pr., *Gloria*, comm. S. Nicomedis, sequentia, *Credo*, praef. B. Mariae Virg. *Et te in transfixione.*
- Ad VESPERAS ant. pr., pss. de Comm., sine comm. – Compl. de dom.
- Hodie permittuntur tantum Missae votivae et defunctorum I et II classis.
- 16. Rub. Feria III. Ss. Cornelii * Pp. et Cypriani * E., Mm., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum.* – Ad LAUDES comm. Ss. Euphemiae et Soc. Mm. (ant. *Istorum, \mathcal{V} *Laetamini*)*
- MISSA *Intret, Gloria*, comm. Ss. Euphemiae et Soc., praef. comm.
- VESPERAE de festo, sine comm.
- 17. Vir. Feria IV post Dom. XVIII post Pent., De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum.* – Ad LAUDES or. dom. XVIII post Pent. (*Dirigat corda nostra*), comm. Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci C. – Ad Primam cap. *Regi.*
- V.** MISSA dom. XVIII post Pent. (*Da pacem*), sine *Gloria*, comm. Ss. Stigmatum S. Francisci,
- D.** sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est.* – Vel Missa pr. Ss. Stigmatum S. Francisci (*alb.*), *Gloria*, praef. comm.
- VESPERAE de feria, or. dom. praec., sine comm.
- Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 4, p. 76.
- 18. Alb. Feria V. S. Iosephi de Cupertino C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum.* – Ad LAUDES ant. *ad Bened.* pr.
- MISSA pr., *Gloria*, praef. comm.
- Ad VESPERAS *ad Magn.* ant. pr.

19. Rub. Feria VI. **S. Ianuarii E. et Soc. Mm., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.

MISSA *Salus autem, Gloria*, Ev. *Sedente Iesu*, praef. comm.

VESPERAE de festo.

20. Alb. Sabb. **De S. Maria in Sabbato, IV cl.** – Off. in Psalt. et in pr. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 pr. *Sacramentum, Te Deum*. – Ad LAUDES *ad Bened.* ant. *Beata Dei Genetrix*, or. *Concede*, comm. Ss. Eustachii et Soc. Mm. – Ad Primam in $\text{R}\ddot{\text{X}}$ br. $\text{V}\ddot{\text{Y}}$ *Qui natus*.

V. MISSA *Salve V* (a Pent. usque ad Advent.), *Gloria*, comm. Ss. Eustachii et Soc., praef. B. M. V. *Et te in veneratione*. – Vel Missa Ss. Mm. (*rub.*) *Sapientiam* de Comm. 2° loco, *Gloria*, comm. S. Mariae in sabb., praef. comm.

I VESPERAE de seq. dom., ut in Psalt. de sabb., *ad Magn.* ant. *Ne reminiscaris*, or. pr., sine comm. – *Vir*.

21. Vir. DOM. XIX POST PENT., **III Sept., De ea, II cl.** – Off. dominicale per annum. – Ad MAT.

✠ 9 ant. et 9 pss. de dom., abs. *Exaudi*, bened. *Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta*. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 (= L. 7) de homil., *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. S. Matthaei Ap. et Evang.

O.C. MISSA pr., *Gloria*, comm. S. Matthaei *, *Credo*, praef. Trinit.

Ad II VESPERAS ant. *ad Magn.* pr., sine comm.

Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.

22. Alb. Feria II. **S. Thomae de Villanova E. C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. *ad Bened.* pr., comm. Ss. Mauritii et Soc. Mm.

MISSA *Statuit* de Comm. C. P., *Gloria*, comm. Ss. Mauritii et Soc., praef. comm.

Ad VESPERAS *ad Magn.* ant. pr., sine comm.

23. Rub. Feria III. **S. Lini * Pp. M., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. Ss. Theclae Virg. M.

MISSA *Si diligis, Gloria*, comm. S. Theclae, praef. comm.

VESPERAE de festo, sine comm.

Cras, feria VI et sabbato sequentibus in Officio et Missa de feriis sonus organi aut harmonii permittitur solummodo ad cantum sustentandum (S. R. C., *Instructio de Musica sacra*, 3 sept. 1958, nn. 81, 83).

24. Viol. FERIA IV QUATUOR TEMP. SEPT., **De ea, II cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. 3 ultimi pss. 2° loco, Ll. de homilia cum suis $\text{R}\ddot{\text{X}}\text{R}\ddot{\text{X}}$, sine *Te Deum*. – Ad LAUDES pss. 2° loco, ant. *ad Bened.* et or. pr., preces, comm. B. M. V. de Mercede. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi*.

O.C. MISSA pr., sine *Gloria*, comm. B. M. V. de Mercede, sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*. – Adverte peculiare rubricas quoad *Flectamus genua* (RM, n. 440).

Ad VESPERAS *ad Magn.* repetitur ant. *ad Bened.*, preces, or. de Laudibus, nulla comm.

Hodie permittuntur tantum Missae votivae et defunctorum I et II classis.

- 25. Vir.** Feria V post Dom. XIX post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES or. dom. praec. – Ad Primam cap. *Regi*.
- V.** MISSA dom. praec., sine *Gloria* et sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*.
- D.**
VESPERAE de feria, or. dom. praec.
Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 5, p. 77.
- 26. Viol.** FERIA VI QUATUOR TEMP. SEPT., **De ea, II cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. Ll. de homilia cum suis *R̄R̄*, sine *Te Deum*. – Ad LAUDES pss. 2° loco, ant. *ad Bened.* et or. pr., preces, comm. Ss. Cypriani et Iustinae Virg. Mm.
- O.C.** MISSA pr., sine *Gloria*, comm. Ss. Cypriani et Iustinae, sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*.
- Ad VESPERAS *ad Magn.* repetitur ant. *ad Bened.*, preces, or. de Laudibus, sine comm.
Hodie permittuntur tantum Missae votivae et defunctorum I et II classis.
- 27. Viol.** SABB. QUATUOR TEMP. SEPT., **De ea, II cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. Ll. de homilia cum suis *R̄R̄*, sine *Te Deum*. – Ad LAUDES pss. 2° loco (cant. Moysis dimittitur post versum *Deum qui te genuit* = Petram, quae genuit te), ant. *ad Bened.* et or. pr., preces, comm. Ss. Cosmae et Damiani Mm. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi*.
- O.C.** MISSA propria, sine *Gloria*, comm. Ss. Cosmae * et Damiani *, sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*. – Adverte pecul. rubricas quoad *Flectamus genua* (RM, n. 440) et lectiones (RM, n. 468).
- I VESPERAE de seq. dom., ut in Psalt. de sabb., *ad Magn.* ant. *Adonai*, or. pr., sine comm. – *Vir*.
- Hodie permittuntur tantum Missae votivae et defunctorum I et II classis.
De S. Wenceslao Duce M. nihil fit.
- 28. Vir.** DOM. XX POST PENT., **IV Sept., De ea, II cl.** – Off. dominicale per annum. – Ad MAT. ✠ 9 ant. et 9 pss. de dom., abs. *Exaudi*, ben. *Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta*. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 (= L. 7) de homilia, *Te Deum*.
- O.C.** MISSA pr., *Gloria, Credo*, praef. Trinit.
- I VESPERAE de seq., Off. festivum pr., comm. dom. – Compl. de dom. – *Alb*.
Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.
- 29. Alb.** Feria II. **IN DEDICATIONE S. MICHAËLIS ARCHANGELI, I cl.** – Off. festivum pr. † – Ad MAT. 8 bened. *Quorum*.
- O.C.** MISSA pr., *Gloria, Credo*, praef. comm.
- II VESPERAE pr. – Compl. de dom.
Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.
- 30. Alb.** Feria III. **S. Hieronymi Presb. C. D., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.
- MISSA *In medio, Gloria*, ors. pr., sine *Credo*, praef. comm.
Ad VESPERAS *ad Magn.* ant. *O Doctor*.

A prima die octobris usque ad secundam diem novembris inclusive, in omnibus ecclesiis parochialibus et in cunctis publicis oratoriis Deiparae dicatis, quinque saltem Mariani Rosarii decades cum Litanis Lauretanis et oratione *Ad te, beate Ioseph*, etc.,¹ quotidie recitentur. (Ex decreto Leonis Pp. XIII, 20 augusti 1885, 26 augusti 1886 et 15 augusti 1889).

¹ Cfr. pag. 161.

OCTOBER

1. Vir. Feria IV post Dom. XX post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES or. dom. praec., comm. S. Remigii E. C. – Ad Primam cap. *Regi*.

V. MISSA dom. praec., sine *Gloria*, comm. S. Remigii, sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*. – Vel Missa S. Remigii (*alb.*) *Statuit de Comm. C. P., Gloria*, praef. comm.

VESPERAE de feria, or. dom. praec., sine comm.

In **Choro** Missa convent. dici debet pro defunctis (*niger*), quotidiana, cum or. *Deus, veniae largitor*, sequentia *ad libitum*.

Cras ubi peculiaria pietatis exercitia pro cleri sanctificatione peraguntur permittitur unica Missa votiva D. N. I. C. SUMMI ET AETERNI SACERDOTIS *Iuravit (alb.)*, *Gloria*, comm. Ss. Angelorum Custodum, sine *Credo*, praef. comm.

2. Alb. Feria V. **Ss. Angelorum Custodum, III cl.** – Off. ordinarium. – Ad MAT. 9 ant. et 9 pss. pr. – L. 1 (cum suo *R̄*) et 2 (= 2 et 3 cum 3 *R̄*) pr. de Scr. (= olim ut in 1 N.), 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr., pss. de dom. – Ad HORAS ant. et pss. de feria.

MISSA pr., *Gloria*, sine *Credo*, praef. comm.

Ad VESPERAS ant. pr., pss. de dom. (ult. ps. 137). – Compl. de feria.

Cras ubi peculiaria pietatis exercitia in honorem Sacratissimi Cordis Iesu peraguntur, dici possunt duae Missae votivae eiusdem SS.MI CORDIS *Cogitationes (alb.)*, *Gloria*, comm. S. Teresiae, sine *Credo*, praef. pr.

3. Alb. Feria VI. **S. Teresiae a Iesu Infante Virg., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.

MISSA pr., *Gloria*, praef. comm.

VESPERAE de festo.¹

Cras ubi peculiaria pietatis exercitia in honorem Immaculati Cordis B. Mariae Virg. peraguntur, permittitur unica Missa votiva de eodem IMMACULATO CORDE: Missa pr. (ut in die 22 aug. – *alb.*), *Gloria*, comm. S. Francisci, sine *Credo*, praef. B. M. V. *Et te in veneratione*.

4. Alb. Sabb. **S. Francisci C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.

MISSA pr., *Gloria*, praef. comm.

I VESPERAE de seq. dom., ut in Psalt. de sabb., *ad Magn.* ant. *Adaperiat*, or. pr., sine comm. – *Vir*.

De Ss. Placido et Soc. Mm. nihil fit.

5. Vir. DOM. XXI POST PENT., **I Oct., De ea, II cl.** – Off. dominicale per annum. – Ad MAT. 9 ant. et 9 pss. de dom., abs. *Exaudi*, bened. *Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta*. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 (= L. 7) de homilia, *Te Deum*.

O.C. MISSA pr., *Gloria, Credo*, praef. Trinit.

Ad II VESPERAS ant. *ad Magn.* pr.

Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.

¹ Pro Italia: cfr. pag. 156.

6. Alb. Feria II. **S. Brunonis C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.

MISSA *Os iusti, Gloria*, ors. pr., praef. comm.

VESPERAE de festo.

7. Alb. Feria III. B. MARIAE VIRG. A ROSARIO, *II cl.* – Off. semifestivum. – Ad MAT. 3 Noct., hymnus *Caelestis aulae* (e I Vesp., omitta concl.) coniungitur cum hymno Mat. – Ad LAUDES ant. pr., pss. de dom., comm. S. Marci Pp. C. (or. *Gregem*). – Ad HORAS ant. et pss. de feria. – Ad Primam in R br. V *Qui natus*.

MISSA pr. *Gloria*, comm. S. Marci (*Gregem*), *Credo*, praef. B. M. V. *Et te in festivitate*.

Ad VESPERAS ant. pr., pss. de Comm., sine comm. – Compl. de dom.

Hodie permittuntur tantum Missae votivae et defunctorum I et II classis.

8. Alb. Feria IV. **S. Birgittae Vid., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. Ss. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii Mm.

MISSA *Cognovi, Gloria*, or. pr., comm. Ss Mm., Ep. pr., praef. comm.

VESPERAE de festo, sine comm.

9. Alb. Feria V. **S. Ioannis Leonardi C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. Ss. Dionysii E., Rustici et Eleutherii Mm.

MISSA pr., *Gloria*, comm. Ss. Mm., praef. comm.

VESPERAE de festo, sine comm.

10. Alb. Feria VI. **S. Francisci Borgiae C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.

MISSA *Os iusti* de Comm. Abb., *Gloria*, ors. pr., praef. comm.

VESPERAE de festo.

11. Alb. Sabb. MATERNITATIS B. M. V., *II cl.* – Off. semifestivum. – Ad MAT. 3 Noct. – Ad LAUDES ant. pr., pss. de dom. – Ad HORAS ant. et pss. de sabb. – Ad Primam in R br. V *Qui natus*.

O.C. MISSA pr., *Gloria, Credo*, praef. B. M. V. *Et te in festivitate*.

Ad VESPERAS ant. pr., pss. de Comm., comm. seq. dom. (ant. *Refulsit sol*, or. pr.). – Compl. de dom.

Hodie permittuntur tantum Missae votivae et defunctorum I et II classis.

12. Vir. DOM. XXII POST PENT., **II Oct., De ea, II cl.** – Off. dominicale per annum. – Ad MAT. 9 X ant. et 9 pss. de dom., abs. *Exaudi*, bened. *Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta*. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 (= L. 7) de homilia, *Te Deum*.

O.C. MISSA pr., *Gloria, Credo*, praef. Trinit.

Ad II VESPERAS ant. *ad Magn.* pr.

Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.

13. Alb. Feria II. **S. Eduardi Regis C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.

MISSA *Os iusti, Gloria*, or. pr., praef. comm.

VESPERAE de festo.

14. Rub. Feria III. **S. Callisti I Pp. M., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.

MISSA *Si diligis, Gloria*, ors. pr., praef. comm.

VESPERAE de festo.

15. Alb. Feria IV. **S. Teresiae Virg., III cl.** – Off. ordinarium. – Ad MAT. hymnus pr. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES hymnus pr.

MISSA *Dilexisti, Gloria*, or. pr., praef. comm.

VESPERAE de festo, hymnus pr.

16. Alb. Feria V. **S. Hedwigis Vid., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.

MISSA *Cognovi, Gloria*, or. pr., praef. comm.

VESPERAE de festo.

17. Alb. Feria VI. **S. Margaritae Mariae Alacoque Virg., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.

MISSA pr., *Gloria*, praef. comm.

VESPERAE de festo.

18. Rub. Sabb. S. LUCAE EVANG., *II cl.* – Off. semifestivum. – Ad MAT. 3 Noct. – Ad LAUDES † ant. de Comm., pss. de dom. – Ad HORAS ant. et pss. de sabb.

O.C. MISSA pr., *Gloria, Credo*, praef. App.

Ad VESPERAS ant. et pss. de Comm., comm. seq. dom. (ant. *Exaudiat Dominus* [dom. IV oct.], or. pr.). – Compl. de dom.

Hodie permittuntur tantum Missae votivae et defunctorum I et II classis.

De S. Petro de Alcantara C. nihil fit.

Lectiones Dom. III Octobris cum sua hebdomada hoc anno omittuntur.

19. Vir. DOM. XXIII POST PENT., **IV Oct., De ea, II cl.** – Off. dominicale per annum. – Ad MAT. ✠ 9 ant. et 9 pss. de dom., abs. *Exaudi*, bened. *Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta*. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 (= L. 7) de homilia, *Te Deum*.

O.C. MISSA pr., *Gloria* et (sub unica concl.) or. pro *Propagatione Fidei* (ex Missa votiva), *Credo*, praef. Trinit.

Ad II VESPERAS ant. *ad Magn.* pr.

Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.

- 20. Alb.** Feria II. **S. Ioannis Cantii C., III cl.** – Off. ordinarium. – Ad MAT. hymnus *Corpus domas.* – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum.* – Ad LAUDES hymnus *Te deprecante.*
MISSA pr., *Gloria*, praef. comm.
Ad VESPERAS hymnus *Gentis Polonae.*
- 21. Vir.** Feria III post Dom. XXIII post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum.* – Ad LAUDES or. dom. praec., comm. S. Hilarionis Abb., deinde Ss. Ursulae et Soc. Virg. Mm. – Ad Primam cap. *Regi.*
V. MISSA dom. praec., sine *Gloria*, 2 or. S. Hilarionis, 3 Ss. Ursulae et Soc., sine *Credo*, praef.
D. comm., *Ite, missa est.* – Vel Missa S. Hilarionis (*alb.*) *Os iusti* de Commun. Abb., *Gloria*, comm. S. Ursulae et Soc., praef. comm. – Vel Missa S. Ursulae et Soc. (*rub.*) *Loquebar, Gloria*, ors. pr., comm. S. Hilarionis, praef. comm.
VESPERAE de feria, or. dom. praec., nulla comm.
Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 3, p. 76.
- 22. Vir.** Feria IV post Dom. XXIII post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum.* – Ad LAUDES or. dom. praec. – Ad Primam cap. *Regi.*
V. MISSA dom. praec., sine *Gloria* et sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est.*
D.
VESPERAE de feria, or. dom. praec.
Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 4, p. 76.
- 23. Alb.** Feria V. **S. Antonii Mariae Claret E. C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum.*
MISSA *Sacerdotes tui, Gloria*, or. pr., praef. comm.
VESPERAE de festo.
- 24. Alb.** Feria VI. **S. Raphaëlis Archangeli, III cl.** – Off. ordinarium. – Ad MAT. 9 ant. et 9 pss. pr. – 3 Ll. pr. *De libro Tobiae* (olim 1 N.) cum 1 et 2 R pr. (ad 2 R add. *Gloria*), *Te Deum.* – Ad LAUDES ant. pr., pss. de dom. – Ad HORAS ant. et pss. de feria.
MISSA pr., *Gloria*, sine *Credo*, praef. comm.
Ad VESPERAS ant. pr., pss. de dom. (ult. ps. 137). – Compl. de feria.
- 25. Alb.** Sabb. **De S. Maria in Sabbato, IV cl.** – Off. in Psalt. et in pr. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 pr. *Amplectamur, Te Deum.* – Ad LAUDES *ad Bened.* ant. *Beata Dei Genetrix*, or. *Concede*, comm. Ss. Chrysanthii et Dariae Mm. – Ad Primam in R br. V *Qui natus.*
V. MISSA *Salve V* (a Pent. usque ad Advent.), *Gloria*, comm. Ss. Chrysanthii et Dariae, praef. B. M. V. *Et te in veneratione.* – Vel Missa pr. Ss. Mm. (*rub.*), *Gloria*, comm. S. Mariae in sabb., praef. comm.
I VESPERAE de seq., Off. festivum pr., nulla comm. – Compl. de dom. – *Alb.*
In **Martyr.** 1° loco: *Festum Domini nostri Iesu Christi Regis.*

Cras in omnibus ecclesiis paroecialibus coram Ss.mo Sacramento exposito recitetur formula (anno 1959 reformata) Consecrationis generis humani Ss.mo Cordi Iesu,¹ cum Litanis de eodem Sacro Corde. (Ex decreto S. Paenitentiarie Ap., 18 iulii 1959).

De Dom. XXIV post Pent. (= III quae superfuit post Epiphaniam) (5^a oct.) et de S. Evaristo Pp. M. nihil fit.

26. Alb. Dom. XXIV post Pentecosten, V Oct. – **FESTUM D. N. IESU CHRISTI REGIS, I cl.** –
 ✠ Off. festivum pr. – Ad MAT. in 3 N. altera pars ps. 88 dimittitur post verba *Et thronus eius sicut sol* (= Ut luna quae manet in aeternum). – Ex 8 L. fit etiam 9 a verbis *Poterat autem.* – Ad LAUDES nulla comm. – Ad Primam pss. ut in festis, in R̄ br. V̄ *Qui primum.*

O.C. MISSA pr., *Gloria*, nulla comm., *Credo*, praef. pr.

II VESPERAE pr., nulla comm. – Compl. de dom.

Hodie prohibentur omnes Missae defunctorum, etiam exsequialis.

27. Vir. Feria II post Dom. XXIV post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum.* – Ad LAUDES or. dom. III quae superfuit post Epiph. (*Omnipotens sempiterna*)². – Ad Primam cap. *Regi.*

V. MISSA dom. III quae superfuit post Epiph. (*Dicit Dominus*), sine *Gloria* et sine *Credo*, praef.

D. comm., *Ite, missa est.*

VESPERAE de feria, or. dom. III quae superfuit post Epiph.

Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 2, p. 76.

28. Rub. Feria III. SS. SIMONIS * ET IUDAE * APP., **II cl.** – Off. semifestiv. – Ad MAT. 3 Noct. –
 † Ad LAUDES ant. de Comm., pss. de dom. – Ad HORAS ant. et pss. de feria.

O.C. MISSA pr., *Gloria*, *Credo*, praef. App.

Ad VESPERAS ant. et pss. de Comm. – Compl. de dom.

Hodie permittuntur tantum Missae votivae et defunctorum I et II classis.

29. Vir. Feria IV post Dom. XXIV post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum.* – Ad LAUDES or. dom. III quae superfuit post Epiph. (*Omnipotens sempiterna*)². – Ad Primam cap. *Regi.*

V. MISSA dom. III quae superfuit post Epiph. (*Dicit Dominus*), sine *Gloria* et sine *Credo*, praef.

D. comm., *Ite, missa est.*

VESPERAE de feria, or. dom. III quae superfuit post Epiph.

Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 4, p. 76.

30. Vir. Feria V post Dom. XXIV post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum.* – Ad LAUDES or. dom. III quae superfuit post Epiph. (*Omnipotens sempiterna*). – Ad Primam cap. *Regi.*

V. MISSA dom. III quae superfuit post Epiph. (*Dicit Dominus*), sine *Gloria* et sine *Credo*, praef.

D. comm., *Ite, missa est.*

VESPERAE de feria, or. dom. III quae superfuit post Epiph.

Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 5, p. 77.

¹ Cfr. pag. 162. – Litaniae SS.mi Cordis Iesu inveniuntur in Rituali Romano (ed. prima post typicam a. 1953), tit. XI, cap. II, vel in Appendice Breviarii Romani.

² Cfr. nn. 18 et 298 Codicis rubricarum (pp. 21 et 41 huius calendarii).

31. *Vir.* Feria VI post Dom. XXIV post Pent., **De ea**, *IV cl.* – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES or. dom. III quae superfuit post Epiph. (*Omnipotens sempiterne*). – Ad Primam cap. *Regi*.

V. MISSA dom. III quae superfuit post Epiph. (*Dicit Dominus*), sine *Gloria* et sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*.

I VESPERAE de seq., Off. festiv. pr. – Compl. de dom. – *Alb*.

Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 6, p. 77.

Cras (1° Sabb. mensis) prohibetur Missa votiva Immaculati Cordis B. M. V.

NOVEMBER

1. ✠ *Alb.* Sabb. **OMNIUM SANCTORUM, I cl.** – Off. festivum pr.

O.C. MISSA pr., *Gloria, Credo*, praef. comm.

Ad II VESPERAS Off. festivum pr., comm. seq. dom. (ant. *Vidi Dominum*, or. pr.). – Compl. de dom.

Hodie prohibentur omnes Missae defunctorum, etiam exsequialis; et Missae in oratoriis privatis.

In **Martyr.** 1° loco non dicitur *Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum*.

Commemoratio omnium Fidelium defunctorum transfertur in diem 3 novembris (RG, nn. 16 b, 96 b).

2. *Vir.* DOM. XXV POST PENT. (= IV quae superfuit post Epiphaniam)¹, **I Nov., De ea, II cl.** – ✠ Off. dominicale per annum. – Ad MAT. 9 ant. et 9 pss. de dom., abs. *Exaudi*, bened. *Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta.* – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 (= L. 7) de homilia, *Te Deum*.

O.C. MISSA pr., *Gloria, Credo*, praef. Trinit.

Ad II VESPERAS ant. *ad Magn.* pr., nulla comm.

Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.

In **Martyr.** 1° loco: *Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum*. – 2° loco: *Mediolani natalis sancti Caroli Borromaei*, etc.

Celebratio Vesperarum defunctorum post II Vesperas huius dominicae, quae pro pietate fidelium peragi consuevit, continuari potest, una cum aliis piis exercitiis forsitan consuetudine traditis, tamquam peculiare pietatis obsequium (*Variationes*, n. 58).

In **Choro** cras pro Missa convent. adhibenda est Missa quae prima inscribitur hoc die; et illi tantum chorales interesse tenentur.

3. *Niger.* Feria II. **IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, I cl.** – Off. pr.

MISSAE tres pr., unica or. (si tres Missae celebrantur sine intermissione, sequentia dici debet tantum in Missa principali, secus in prima; in aliis Missis, nisi sint in cantu, omitti potest), praef. pr. – In Missa defunctorum, quam sequitur absolutio super tumulum, omittitur ult. Evang. (RM, n. 510 e).

VESPERAE defunctorum et Compl. pr.

In **Martyr.** antequam legantur Nonae: *Commemoratio omnium Fidelium defunctorum; in qua communis pia Mater Ecclesia*, etc. – Postea dicitur: *Pridie Nonas Novembris. Luna quinta. Sancti Caroli Borromaei*, etc.

Ex Constitutione Apostolica diei 10 aug. 1915, hodie licet omnibus Sacerdotibus tres Missas celebrare; ea tamen lege, ut unam e tribus cuicumque maluerint applicare et stipem percipere queant; teneantur vero, nulla stipe percepta, applicare alteram Missam in suffragium omnium fidelium defunctorum, tertiam ad mentem Summi Pontificis.

Sacerdos, qui unam Missam celebrat, legat primam; eandem adhibeat qui Missam cum cantu celebraturus sit, facta ei potestate anticipandae secundae et tertiae. Quoad ablutiones in 1^a et 2^a Missa, servantur ea quae notantur in die Nativitatis Domini.

Hodie (et per Octavarium si Missa applicatur pro defunctis) singula altaria sunt privilegiata.

Ubi hodie fit expositio Ss.mi Sacramenti pro Oratione XL Horarum: a) expositio Ss.mi Sacramenti sequatur, repositio vero praecedat Missam in cantu, vel principalem; b) tempore expositionis, Missae de Officio diei dicuntur cum paramentis violaceis, et extra altare expositionis (RM, n. 351).

¹ Cfr. nn. 18 et 298 Codicis rubricarum (pp. 21 et 41 huius calendarii).

Quoad expositionem Ss.mi Sacramenti pro adoratione Quadraginta Horarum tempore Missae principalis huius diei et subsequenti absolutionis ad tumulum, cfr. RM, n. 352.

S. P. Pius XI benigne concedere dignatus est (S. Paen. Ap., 2 ian. 1939) ut vel in Comm. Omn. Fidel. Defunct., vel subsequenti die dominica cuiuslibet anni christifideles, confessi ac Communionem refecti, *quoties* aliquam ecclesiam, vel publicum aut (pro legitime utentibus) semipublicum oratorium, defunctis suffragaturi visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint (recitando saltem sex *Pater, Ave et Gloria*), *toties* plenariam Indulgentiam, animabus piacularibus flammis addictis tantummodo profuturam, lucrari valeant.

Intra octiduum a die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum inclusive computandum, omnes Missae, quae applicantur pro omnibus vel quibusdam defunctis, dici possunt de requie (exceptis diebus dominicis et festis I et II cl.), adhibita Missa «quotidiana» cum oratione convenienti (RM, n. 422).

- 4. Alb.** Feria III. **S. Caroli E. C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. Ss. Vitalis et Agricola Mm (∇ *Exsultabunt*).

MISSA *Statuit, Gloria*, or. pr., comm. Ss. Mm., praef. comm.

VESPERAE de festo, sine comm.

- 5. Vir.** Feria IV post Dom. XXV post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES or. dom. praec. – Ad Primam cap. *Regi*.

V. MISSA dom. praec., sine *Gloria* et sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*.

D.

VESPERAE de feria, or. dom. praec.

Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 4, p. 76.

Cras ubi peculiaria pietatis exercitia pro cleri sanctificatione peraguntur permittitur unica Missa votiva D. N. I. C. SUMMI ET AETERNI SACERDOTIS *Iuravit (alb.)*, *Gloria*, sine *Credo*, praef. comm.

- 6. Vir.** Feria V post Dom. XXV post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES or. dom. praec. – Ad Primam cap. *Regi*.

V. MISSA dom. praec., sine *Gloria* et sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*.

D.

VESPERAE de feria, or. dom. praec.

Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 5, p. 77.

Cras ubi peculiaria pietatis exercitia in honorem Sacratissimi Cordis Iesu peraguntur, dici possunt duae Missae votivae eiusdem SS.MI CORDIS *Cogitationes (alb.)*, *Gloria*, sine *Credo*, praef. pr.

- 7. Vir.** Feria VI post Dom. XXV post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES or. dom. praec. – Ad Primam cap. *Regi*.

V. MISSA dom. praec., sine *Gloria* et sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*.

D.

VESPERAE de feria, or. dom. praec.

Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 6, p. 77.

- 8. Alb.** Sabb. **De S. Maria in Sabbato, IV cl.** – Off. in Psalt. et in pr. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 pr. *Accessi, Te Deum*. – Ad LAUDES *ad Bened. ant. Beata Dei Genetrix*, or. *Concede*, comm. Ss. Quatuor Coronatorum Mm (∇ *Exsultabunt*). – Ad Primam in R̄ br. ∇ *Qui natus*.

V. MISSA *Salve V* (a Pent. usque ad Advent.), *Gloria*, comm. Ss. Mm., praef. B. M. V. *Et te in veneratione*. – Vel Missa pr. Ss. Mm. (*rub.*), *Gloria*, comm. S. Mariae in sabbato, praef. comm.

I VESPERAE de seq. festo, ant. et pss. de Comm., nulla comm. – Compl. de dom. – *Alb.*

De Dom. XXVI post Pent. (= V quae superfuit post Epiphaniam) (3^a nov.) et de S. Theodoro M. nihil fit.
Lectiones Dom. II Novembris cum sua hebdomada hoc anno omittuntur.

- 9. Alb.** Dom. XXVI post Pentecosten, III Nov. – IN DEDICATIONE ARCHIBASILICAE SS.MI
✠ SALVATORIS, *II cl.* – Off. semifestivum. – Ad MAT. 3 Noct. – Ad LAUDES ant. de Comm.,
pss. de dom., nulla comm. – Ad HORAS ant. et pss. de dom.
O.C. MISSA *Terribilis, Gloria*, nulla comm. *Credo*, praef. Trinit.
Ad VESPERAS ant. et pss. de Comm., nulla comm. – Compl. de dom.
Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.
- 10. Alb.** Feria II. **S. Andreae Avellini C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ.,
3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. Ss. Tryphonis, Respicii et Nympha Virg., Mm.
MISSA *Os iusti, Gloria*, or. pr., comm. Ss. Mm, praef. comm.
VESPERAE de festo, sine comm.
- 11. Alb.** Feria III. **S. Martini E. C., III cl.** – Off. ordinarium. – Ad MAT. 9 ant. et 9 pss. pr. – L. 1 et
2 (= 2 et 3) de Comm. cum ~~R~~~~X~~ pr., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr., pss. de
dom., comm. S. Mennae M. – Ad HORAS ant. et pss. de feria.
MISSA pr., *Gloria*, comm. S. Mennae, praef. comm.
Ad VESPERAS ant. pr., pss. de dom. (ult. ps. 131), sine comm. – Compl. de feria.
- 12. Rub.** Feria IV. **S. Martini I Pp. M., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3
de festo, *Te Deum*.
MISSA *Si diligis, Gloria*, praef. comm.
VESPERAE de festo.
- 13. Alb.** Feria V. **S. Didaci C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo,
Te Deum.
MISSA *Iustus, Gloria*, or. pr., praef. comm.
VESPERAE de festo.
- 14. Rub.** Feria VI. **S. Iosaphat E. M., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3
de festo, *Te Deum*.
MISSA pr., *Gloria*, praef. comm.
VESPERAE de festo.
- 15. Alb.** Sabb. **S. Alberti Magni E. C. D., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr.
occ., 3 de festo, *Te Deum*.
MISSA *In medio, Gloria*, or. pr., sine *Credo*, praef. comm.
I VESPERAE de seq. dom., ut in Psalt. de sabb., *ad Magn.* ant. *Qui caelorum*, or. pr., sine
comm. – *Vir.*
De S. Gertrude Virg. nihil fit.

- 16. Vir. DOM. XXVII POST PENT.** (= VI quae superfuit post Epiphaniam),¹ **IV Nov., De ea, II cl.**
 ✠ – Off. dominicale per annum. – Ad MAT. 9 ant. et 9 pss. de dom., abs. *Exaudi*, bened. *Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta*. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 (= L. 7) de homilia, *Te Deum*.
O.C. MISSA pr., *Gloria*, praef. Trinit.
 Ad II VESPERAS ant. *ad Magn.* pr.
 Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.
- 17. Alb. Feria II. S. Gregorii Thaumaturgi E. C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.
MISSA pr., *Gloria*, praef. comm.
 VESPERAE de festo.
- 18. Alb. Feria III. In Dedicatione Basilicarum Ss. Petri et Pauli App., III cl.** – Off. ordinarium. – Ant. et pss. de feria – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.
MISSA *Terribilis*, *Gloria*, sine *Credo*, praef. comm.
 VESPERAE de festo.
- 19. Alb. Feria IV. S. Elisabeth Vid., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. S. Pontiani Pp. M. (*Gregem*).
MISSA *Cognovi*, *Gloria*, or. pr., comm. S. Pontiani (*Gregem*), praef. comm.
 VESPERAE de festo, sine comm.
- 20. Alb. Feria V. S. Felicis de Valois C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.
MISSA *Iustus*, *Gloria*, or. pr., praef. comm.
 VESPERAE de festo.
- 21. Alb. Feria VI. In Praesentatione B. M. V., III cl.** – Off. ordinarium. – Ant. et pss. de feria. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*.
MISSA *Salve* de Comm. fest. B. M. V., *Gloria*, or. pr., sine *Credo*, praef. B. M. V. *Et te in praesentatione*.
 Ad VESPERAS ant. *ad Magn.* pr. – Compl. de feria.
- 22. Rub. Sabb. S. Caeciliae * Virg. M., III cl.** – Off. ordinarium. – Ad MAT. 9 ant. et 9 pss. pr. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Comm. cum *R̄R̄* pr., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr., pss. de dom. – Ad HORAS ant. et pss. de sabb.
MISSA pr., *Gloria*, praef. comm.
 I VESPERAE de seq. dom., ut in Psalt. de sabb., *ad Magn.* ant. *Super muros*, or. pr., sine comm. – *Vir*.
 De S. Clemente I Pp. M. et de S. Felicitate M. nihil fit.

¹ Cfr. nn. 18 et 298 Codicis rubricarum (pp. 21 et 41 huius calendarii).

- 23. Vir.** DOM. XXVIII POST PENT. (quae est XXIV in Pr. de Temp.),¹ **V Nov., De ea, II cl.** – Off. dominicale per annum. – Ad MAT. 9 ant. et 9 pss. de dom., abs. *Exaudi, bened. Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta.* – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Script. occ., 3 (= L. 7) de homilia, *Te Deum.*
- O.C.** MISSA pr., *Gloria, Credo, praef. Trinit.*
- Ad II VESPERAS ant. *ad Magn. pr.*
- Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.
- 24. Alb.** FERIA II. **S. Ioannis a Cruce C. D.,** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum.* – Ad LAUDES comm. S. Chrysogoni M.
- MISSA *In medio, Gloria, or. pr., comm. S. Chrysogoni *, sine Credo, praef. comm.*
- Ad VESPERAS *ad Magn. ant. O Doctor.*
- 25. Rub.** FERIA III. **S. Catharinae Virg. M., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum.*
- MISSA *Loquebar, Gloria, or. pr., praef. comm.*
- VESPERAE de festo.
- 26. Alb.** FERIA IV. **S. Silvestri Abb., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum.* – Ad LAUDES comm. S. Petri Alex. E. M.
- MISSA *Os iusti de Comm. Abb., Gloria, ors. pr., comm. S. Petri, praef. comm.*
- VESPERAE de festo, sine comm.
- 27. Vir.** FERIA V post Dom. XXVIII post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum.* – Ad LAUDES or. dom. praec. – Ad Primam cap. *Regi.*
- V.** MISSA dom. praec., sine *Gloria* et sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est.*
- D.**
- VESPERAE de feria, or. dom. praec.
- Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 5, p. 77.
- 28. Vir.** FERIA VI post Dom. XXVIII post Pent., **De ea, IV cl.** – Off. feriale per annum. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum.* – Ad LAUDES or. dom. praec. – Ad Primam cap. *Regi.*
- V.** MISSA dom. praec., sine *Gloria* et sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est.*
- D.**
- VESPERAE de feria, or. dom. praec.
- Pro Missa convent. extra ordinem Officii: cfr. n. 6, p. 77.
- 29. Alb.** Sabb. **De S. Maria in Sabbato, IV cl.** – Off. in Psalt. et in pr. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 pr. *Accessi, Te Deum.* – Ad LAUDES *ad Bened. ant. Beata Dei Genetrix, or. Concede, comm. S. Saturnini M.* – Ad Primam in R br. V *Qui natus.*
- V.** MISSA *Salve V (a Pent. usque ad Advent.), Gloria, comm. S. Saturnini, praef. B. M. V. Et te in veneratione.* – Vel Missa S. Saturnini (*rub.*) *Laetabitur, Gloria, comm. S. Mariae in sab., praef. comm.*

¹ Cfr. n. 18 Codicis rubricarum (p. 21 huius calendarii).

In **Martyr.** 1° loco: *Dominica prima Adventus D. N. I. C.*

Hodie de sero clauditur nuptiarum solemnitas.

TEMPUS ADVENTUS

INCIPIIT PARS PRIOR BREVIARII

I VESPERAE de seq., ant. pr., pss. de sabb., sine comm. – *Viol.*

Ab hoc Compl. usque ad Compl. diei ante Vigil. Nativ. Dom. inclusive, in fine Offici dicitur ant. B. M. V. *Alma Redemptoris*, *¶ Angelus*, or. *Gratiam*.

Tempore Adventus:

1. In festis Sanctorum fit semper commemoratio feriae ad Laudes et ad Vesperas necnon in Missa, etiam in cantu.

2. In responsorio brevi ad Primam dicitur cotidie, nisi aliter notetur, *¶ Qui venturus es in mundum*.

3. In Missa solemnī de Tempore ministri sacri utuntur dalmatica et tunicella; planetae plicatae non amplius adhibentur (RG, n. 137).

3. Toto tempore Adventus altaria non ornantur floribus; et organum silet: adhiberi tamen potest ad sustinendum cantum.

Organi et aliorum instrumentorum sonus permittitur diebus festis de praecepto et feriatis (exceptis dominicis) necnon in festis Patroni principalis loci, Tituli vel anniversarii Dedicacionis propriae ecclesiae, Tituli vel Fundatoris familiae religiosae, vel si qua solemnitas extraordinaria occurrat (*Instructio de musica sacra*, nn. 81 b, 83, 84).

De S. Andrea Ap. nihil fit.

30. Viol. DOM. I ADVENTUS, De ea, I cl. – Off. dominicale temp. Adventus. – Ad MAT. 9 ant. et **✠** 9 pss. de dom. cum versu *Ex Sion* (olim e 1 Noct.), abs. *Exaudi*, bened. *Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta*. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Script. occ., 3 (= L. 7 cum 9 *¶*) de homilia, sine *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr., pss. 1° loco. – Ad HORAS ant. e Laudibus, rel. pr. – Ad Primam Lectio brevis *Domine, miserere* (quae dicitur in omnibus Officiis usque ad Vigiliam Nativitatis inclusive).

O.C. MISSA pr., sine *Gloria, Credo*, praef. Trinit., *Ite, missa est*.

Ad II VESPERAS ant. e Laudibus, rel. pr.

Hodie prohibentur omnes Missae defunctorum, etiam exsequialis.

DECEMBER

- 1. Viol. Feria II post Dom. I Adventus, De ea, III cl.** – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES pss. 2° loco, ant. *ad Bened.* pr., or. dom. praec. – Ad HORAS ant. e Laudibus dom. praec. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi*.

MISSA dom. praec., sine *Gloria*, post graduale omittitur *Alleluia* cum \forall seq., sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*.

VESPERAE de feria temp. Adventus, ant. *ad Magn.* pr., or. dom. praec.

In feriis Adventus prohibentur Missae votivae et defunctorum IV classis.

- 2. Rub. Feria III. S. Bibianae Virg. M., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. feriae. – Ad HORAS ant. per annum.

MISSA *Me exspectaverunt, Gloria*, or. pr., *comm. feriae*, praef. comm.

Ad VESPERAS comm. feriae.

- 3. Alb. Feria IV. S. Francisci Xaverii C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. feriae. – Ad HORAS ant. per annum.

MISSA pr., *Gloria, comm. feriae*, praef. comm.

Ad VESPERAS comm. feriae.

Cras ubi peculiaria pietatis exercitia pro cleri sanctificatione peraguntur permittitur unica Missa votiva D. N. I. C. SUMMI ET AETERNI SACERDOTIS *Iuravit (alb.)*, *Gloria*, 2 or. *feriae*, 3 S. Petri, sine *Credo*, praef. comm.

- 4. Alb. Feria V. S. Petri Chrysologi E. C. D., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. feriae, deinde S. Barbarae Virg. M. – Ad HORAS ant. per annum.

MISSA pr., *Gloria*, 2 or. *feriae*, 3 S. Barbarae, sine *Credo*.

Ad VESPERAS *ad Magn.* ant. *O Doctor*, comm. feriae tantum.

Cras ubi peculiaria pietatis exercitia in honorem Sacratissimi Cordis Iesu peraguntur, dici possunt duae Missae votivae eiusdem SS. MI CORDIS *Cogitationes (alb.)*, *Gloria*, 2 or. *feriae*, 3 S. Sabbae, sine *Credo*, praef. pr.

- 5. Viol. Feria VI post Dom. I Adventus, De ea, III cl.** – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES pss. 2° loco, ant. *ad Bened.* pr., preces, or. dom. praec., comm. S. Sabbae Abb. – Ad HORAS ant. e Laudibus dom. praec. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi*.

MISSA dom. praec., sine *Gloria*, comm. S. Sabbae, post graduale omittitur *Alleluia* cum \forall seq., sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*.

VESPERAE de feria temp. Adventus, ant. *ad Magn.* pr., preces, or. dom. praec., sine comm.

Cras ubi peculiaria pietatis exercitia in honorem Immaculati Cordis B. Mariae Virg. peraguntur, permittitur unica Missa votiva de eodem IMMACULATO CORDE: Missa pr. (ut in die 22 aug. – *alb.*), *Gloria*, 2 or. *feriae*, 3 S. Nicolai, sine *Credo*, praef. B. M. V. *Et te in veneratione*.

- 6. Alb. Sabb. S. Nicolai E. C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. sabb. – Ad HORAS ant. per annum.

MISSA pr., *Gloria, comm. sabb.*, praef. comm.

I VESPERAE de seq., ant. pr., pss. de sabb., sine comm. – *Viol.*

De S. Ambrosio E. C. D. nihil fit.

7. *Viol.* **DOM. II ADVENTUS, De ea, I cl.** – Off. dominicale temp. Adventus. – Ad MAT. 9 ant. et ✠ 9 pss. de dom. cum versu *Ex Sion* (olim e 1 Noct.), abs. *Exaudi*, bened. *Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta.* – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Script. occ., 3 (= L. 7 cum 9 R̄) de homilia, sine *Te Deum.* – Ad LAUDES ant. pr., pss. 1° loco. – Ad HORAS ant. e Laudibus, reliqua pr.

O.C. MISSA pr., sine *Gloria, Credo*, praef. Trinit., *Ite, missa est.*

Ad II VESPERAS ant. e Laudibus, rel. pr., comm. seq.

Hodie prohibentur omnes Missae defunctorum, etiam exsequialis.

8. *Alb.* Feria II. **IN CONCEPTIONE IMMACULATA B. M. V., I cl.** – Officium festivum pr. – ✠ Ad LAUDES comm. feriae. – Ad Primam in R̄ br. V̄ *Qui natus.*

O.C. MISSA pr., *Gloria, comm. feriae, Credo*, praef. B. M. V. *Et te in Conceptione immaculata.*

II VESPERAE pr., comm. feriae. – Compl. de dom.

Hodie prohibentur omnes Missae defunctorum, etiam exsequialis.

9. *Viol.* **Feria III post Dom. II Adventus, De ea, III cl.** – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum.* – Ad LAUDES pss. 2° loco, ant. *ad Bened.* pr., or. dom. praec. – Ad HORAS ant. e Laudibus dom. praec. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi.*

MISSA dom. praec., sine *Gloria*, post graduale omittitur *Alleluia* cum V̄ seq., sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est.*

VESPERAE de feria temp. Adventus, ant. *ad Magn.* pr., or. dom. praec.

10. *Viol.* **Feria IV post Dom. II Adventus, De ea, III cl.** – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. 3 ultimi pss. 2° loco, sine *Te Deum.* – Ad LAUDES pss. 2° loco, ant. *ad Bened.* pr., preces, or. dom. praec., comm. S. Melchiadis Pp. M. – Ad HORAS ant. e Laudibus dom. praec. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi.*

MISSA dom. praec., sine *Gloria*, comm. S. Melchiadis, post graduale omittitur *Alleluia* cum V̄ seq., sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est.*

VESPERAE de feria temp. Adventus, ant. *ad Magn.* pr., preces, or. dom. praec., sine comm.

11. *Alb.* Feria V. **S. Damasi I Pp. C., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum.* – Ad LAUDES comm. feriae. – Ad HORAS ant. per annum.

MISSA *Si diligis, Gloria, comm. feriae*, sine *Credo*, praef. comm.

Ad VESPERAS *ad Magn.* ant. *Dum esset*, comm. feriae.

12. *Viol.* **Feria VI post Dom. II Adventus, De ea, III cl.** – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum.* – Ad LAUDES pss. 2° loco, ant. *ad Bened.* pr., preces, or. dom. praec. – Ad HORAS ant. e Laudibus dom. praec. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi.*

MISSA dom. praec., sine *Gloria*, post graduale omittitur *Alleluia* cum V̄ seq., sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est.*

VESPERAE de feria temp. Adventus, ant. *ad Magn.* pr., preces, or. dom. praec.

- 13. Rub. Sabb. S. Luciae * Virg. M., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 (cum $\text{R}\ddot{x}$ olim assignato L. 4) et 2 (= 2 et 3 cum $\text{R}\ddot{x}$ olim assignato L. 6) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr., pss. de dom., comm. sabb. – Ad HORAS ant. per annum, pss. de sabb.

MISSA pr., *Gloria, comm. sabb.*, sine *Credo*, praef. comm.

Ad VESPERAS ant. pr., pss. de Comm., comm. feriae. – Compl. de feria.

I VESPERAE de seq., ant. pr., pss. de sabb. – *Viol. vel Rosac.*

In Vesperis et per crastinum altaria ornantur floribus, pulsantur organa et adhiberi potest color *rosaceus*.

- 14. Viol. vel Rosac. DOM. III ADVENTUS (Gaudete), De ea, I cl.** – Officium dominicale temp.

✠ Adventus. – Ad MAT. 9 ant. et 9 pss. de dom. cum versu *Ex Sion* (olim e 1 Noct.), absol. *Exaudi*, bened. *Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta*. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Script. occ., 3 (= L. 7 cum 9 $\text{R}\ddot{x}$) de homilia, sine *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr., pss. 1° loco. – Ad HORAS ant. e Laudibus, rel. pr.

O.C. MISSA pr., sine *Gloria, Credo*, praef. Trinit., *Ite, missa est*.

Ad II VESPERAS ant. e Laudibus, *ad Magn. ant. Beata es*.

Hodie prohibentur omnes Missae defunctorum, etiam exsequialis.

- 15. Viol. Feria II post Dom. III Adventus, De ea, III cl.** – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES pss. 2° loco, ant. *ad Bened.* pr., or. dom. praec. – Ad HORAS ant. e Laudibus dom. praec. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi*.

MISSA dom. praec., sine *Gloria*, post graduale omittitur *Alleluia* cum $\text{V}\check{r}$ seq., sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*.

VESPERAE de feria temp. Adventus, ant. *ad Magn.* pr., or. dom. praec.

- 16. Rub. Feria III. S. Eusebii E. M., III cl.** – Off. ordinarium. – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Scr. occ., 3 de festo, *Te Deum*. – Ad LAUDES comm. feriae (ant. *Egredietur*). – Ad HORAS ant. per annum.

MISSA *Sacerdotes Dei, Gloria, comm. feriae*, praef. comm.

Ad VESPERAS comm. feriae.

A die 17 decembris ad diem 23 prohibentur Missae votivae et defunctorum III et IV classis.

- 17. Viol. FERIA IV QUATUOR TEMP. ADVENTUS, De ea, II cl.** – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. 3 ultimi pss. 2° loco, sine *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr. *Prophetas*, pss. 2° loco, *ad Bened.* ant. *Missus est*, preces, or. pr. – Ad HORAS ant. et or. e Laudibus. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi*.

O.C. MISSA pr., sine *Gloria* et sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est*. – Adverte pecul. rubricas quoad *Flectamus genua* (RM, n. 440).

VESPERAE de feria temp. Adventus, *ad Magn. ant. O Sapientia*, or. dom. praec.

- 18. Viol. FERIA V POST DOM. III ADVENTUS, De ea, II cl.** – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr. *De Sion*, pss. 2° loco, *ad Bened.* ant. *Vigilate*, or. dom. praec. – Ad HORAS ant. e Laudibus. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi*.

O.C. MISSA dom. praec., sine *Gloria* et sine *Credo*, post graduale omittitur *Alleluia* cum $\text{V}\check{r}$ seq., praef. comm., *Ite, missa est*.

VESPERAE de feria temp. Adventus, *ad Magn.* ant. *O Adonai*, or. dom. praec.

19. *Viol.* FERIA VI QUATUOR TEMP. ADVENTUS, **De ea**, *II cl.* – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr. *Constantes*, pss. 2° loco, *ad Bened.* ant. *Ex quo facta*, preces, or. pr. – Ad HORAS ant. et or. e Laudibus. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi.*

O.C. MISSA pr., sine *Gloria* et sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est.*

VESPERAE de feria temp. Adventus, *ad Magn.* ant. *O radix Iesse*, or. dom. praec.

20. *Viol.* SABB. QUATUOR TEMP. ADVENTUS, **De ea**, *II cl.* – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr. *Intuemini*, pss. 2° loco (cant. Moysis dimittitur post versum *Deum qui te genuit* = Petram, quae genuit te), *ad Bened.* ant. *Quomodo*, preces, or. pr. – Ad HORAS ant. et or. e Laudibus. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi.*

O.C. MISSA pr., sine *Gloria* et sine *Credo*, praef. comm., *Ite, missa est.* – Adverte pecul. rubricas quoad *Flectamus genua* (RM, n. 440) et lectiones (RM, n. 468).

I VESPERAE de seq., ant. pr., pss. de sabb., *ad Magn.* ant. *O clavis David.* – *Viol.*

De S. Thoma Ap. nihil fit.

21. *Viol.* DOM. IV ADVENTUS, **De ea**, *I cl.* – Off. dominicale temp. Adventus. – Ad MAT. 9 ant. ✠ et 9 pss. de dom. cum versu *Ex Sion* (olim e 1 Noct.), abs. *Exaudi*, bened. *Ille nos, Divinum auxilium, Per evangelica dicta.* – L. 1 et 2 (= 2 et 3) de Script. occ., 3 (= L. 7 cum 9 ⚡) de homilia, sine *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr., pss. 1° loco, *ad Bened.* ant. *Nolite timere.* – Ad HORAS ant. e Laudibus, rel. pr.

O.C. MISSA pr., sine *Gloria*, *Credo*, praef. Trinit., *Ite, missa est.*

Ad II VESPERAS ant. e Laudibus, *ad Magn.* ant. *O Oriens.*

Hodie prohibentur omnes Missae defunctorum, etiam exsequialis.

22. *Viol.* FERIA II POST DOM. IV ADVENTUS, **De ea**, *II cl.* – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr. *Ecce veniet*, pss. 2° loco, *ad Bened.* ant. *Dicit Dominus*, or. dom. praec. – Ad HORAS ant. e Laudibus. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi.*

O.C. MISSA dom. praec., sine *Gloria* et sine *Credo*, post graduale omittitur *Alleluia* cum ⚡ seq., praef. comm., *Ite, missa est.*

VESPERAE de feria temp. Adventus, *ad Magn.* ant. *O Rex gentium*, or. dom. praec.

23. *Viol.* FERIA III POST DOM. III ADVENTUS, **De ea**, *II cl.* – Off. feriale temp. Adventus. – Ad MAT. non dicitur *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. pr. *Rorate*, pss. 2° loco, *ad Bened.* ant. *Ecce completa*, or. dom. praec. – Ad HORAS ant. e Laudibus. – Ad Primam 3 pss., cap. *Regi.*

O.C. MISSA dom. praec., sine *Gloria* et sine *Credo*, post graduale omittitur *Alleluia* cum ⚡ seq., praef. comm., *Ite, missa est.*

VESPERAE de feria temp. Adventus, *ad Magn.* ant. *O Emmanuel*, or. dom. praec.

Ex decreto S. Congregationis Concilii diei 3 dec. 1959 obligatio abstinentiae et ieiunii pro Vigilia Nativitatis Domini anticipari potest ad diem 23 decembris.

24. *Viol.* Feria IV. VIGILIA NATIVITATIS DOMINI, **De ea**, *I cl.* – Ad MAT. invit. *Hodie*, hymnus *Verbum*, 9 ant. et 9 pss. de feria (1° loco), 3 Ll. de homilia cum suis ⚡⚡, sine *Te Deum*. – Ad LAUDES et ad HORAS ant. pr., pss. de dom. – Ad Primam pss. ut in festis.

ieiun.
cum
abst.

O.C. MISSA pr., sine *Gloria*, post graduale omittitur *Alleluia* cum ∇ seq., praef. comm., *Ite, missa est*.

Martyrologium in **Choro** cantatur solemniter ab hebdomadario, qui idcirco pluviali (*viol.*) indutus sine stola, ingreditur chorum cum thuriferario et acolythis, incensum ponit et benedicit et triplici ductu librum thurificat; deinde cantat *Calendas* et rel., Clero stante. Ad verba in *Bethlehem Iudae* altius cantat et tunc ipse et omnes (except. Ceroferar.) genuflectunt usque ad verba *secundum carnem*. Quod sequitur legitur ab alio de more.

TEMPUS NATIVITATIS

I VESPERAE de seq., Off. festivum pr. – Compl. de dom. – *Alb.*

A Compl. huius diei usque ad Compl. diei ante Purificat. B. M. V. inclusive ant. finalis *Alma Redemptoris*, ∇ *Post partum*, or. *Deus, qui salutis*.

In nocte Nativitatis Domini inchoari potest media nocte sola Missa conventualis vel parochialis, non autem alia sine apostolico indulto (can. 821 § 2, C. I. C.). In eadem Missa sacra Communio distribui potest nisi Ordinarius id prohibuerit (Pont. Comm. ad Cod. can. authent. interpretandos, 16 martii 1936).

In omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate sanctissimam Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis Domini, unus sacerdos tres rituales Missas, vel, servatis servandis, unam tantum, quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare potest et sanctam Communionem petentibus ministrare (can. 821 § 3, C. I. C.).

In **Choro** dicuntur duae Missae convent. scilicet una in nocte et altera in die (RM, n. 296).

Missa convent. inchoari nequit ante mediam noctem; inchoetur autem post *Te Deum*, dicta oratione cum ∇ *Ben. Dom.*, omisso ∇ *Fidelium animae*.

Cras prohibentur Missae in oratoriis privatis et omnes Missae defunctorum, etiam exsequialis.

25. Alb. Feria V. **IN NATIVITATE DOMINI**, *I cl. cum oct. II cl.* – Off. festivum pr. – Ad MAT.

✠ ps. 88 *Misericordias Domini = Gratias Domini* dimittitur post versum *Et thronus eius sicut sol = Ut luna quae manet in aeternum*. – Ad Primam in \mathfrak{R} br. ∇ *Qui natus*, et L. brevis *Ipsi peribunt* (quae dicuntur in omnibus Officiis usque ad diem 5 ian. inclusive).

O.C. Hodie celebrantur tres MISSAE pr., *Gloria*, *Credo*, praef. et *Communic.* pr. per totam Oct. – In *Communicantes* in 1^a Missa dicitur *Noctem sacratissimam celebrantes, qua*, in reliquis vero *Diem sacratissimum celebrantes, quo*. – In 2^a Missa (etiam in cantu) fit commemoratio S. Anastasiae * M. – In fine 3^{ae} Missae omittitur ultimum Evangelium.

II VESPERAE pr., nulla comm. – Compl. de dom.

« 1. Sacerdos, qui in festo Nativitatis Domini vel in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, duas vel tres Missas sine intermissione, id est quin ab altari discedat, celebrat:

a) In prima et secunda Missa, si aliam sit immediate celebraturus, sumpto divino Sanguine, calicem nec purificat nec abstergit, sed eum ponit super corporale et palla tegit. Deinde iunctis manibus dicit: *Quod ore sumpsimus*, et postea in vase cum aqua parato digitos abluit dicens: *Corpus tuum, Domine*, et abstergit. His peractis, calicem super corporale adhuc manentem, deducta palla, iterum disponit et cooperit, uti moris est, scilicet purificatorio linteo, deinde patena cum hostia consecranda, et palla, ac demum velo. Calix vero extra corporale ne statuatur. Si per inadvertentiam ablutiones cum vino sumpserit, celebrare nihilominus potest secundam et tertiam Missam etiam ante tres horas, si necessarium sit. De cetero Missa more solito completur.

b) In secunda et tertia Missa, si aliam Missam immediate antea celebraverit, ad Offertorium, ablato velo a calice, hunc parumper versus latus Epistolae collocat, intra tamen corporale; factaque hostiae oblatione, calicem purificatorio non abstergit, sed eum intra corporale relinquens, leviter elevat, vinumque et aquam eidem infundit, ipsumque calicem, nullatenus ab intus abstersum, offert. Cetera omnia more solito peraguntur.

2. Sacerdos, qui plures Missas cum intermissione celebrat, prioribus in Missis suas ablutiones a rubricis praescriptas sumere debet. Si sequentem Missam ante tres horas celebraturus sit, aqua tantum in ablutionibus adhibenda est; si vero per inadvertentiam vinum quoque sumpserit, sequentem Missam nihilominus etiam ante tres horas celebrare potest, si necesse sit ». (Cfr. *Missale Romanum*, editio typica anni 1962: *Ritus servandus*, cap. XIV).

Qui unam tantum Missam celebrare voluerit, eam celebret quae respondet circiter horae diei in qua celebrat.

In Missa in cantu ad verba symboli *Et incarnatus est* omnes genuflectunt usque ad *homo factus est*.

Sacra imago divini Infantis, tempore Nativitatis, principe loco super altare exposita, thurificanda est post crucem triplici ductu: eodem prorsus modo, quo incensatur crux cum imagine Crucifixi (S. R. C., 15 febr. 1873).

Cras mane aperitur solemnitas nuptiarum.

26. Rub. Feria VI. S. STEPHANI * PROTOM., *II cl.* – Off. semifestivum. – Ad MAT. 3 Noct. – Ad LAUDES ant. pr., pss. de dom., comm. Oct. Nativ. – Ad HORAS ant. et pss. de feria.

O.C. MISSA pr., *Gloria, comm. Oct. Nativ., Credo*, praef. et *Communic.* de Nativ.

Ad VESPERAS ant. et pss. de Nativ., a cap. de S. Stephano, comm. Oct. Nativ. – Compl. de dom.

Infra Octavam Nativitatis permittuntur tantum Missae votivae et defunctorum I et II classis.

27. Alb. Sabb. S. IOANNIS * AP. ET EVANG., *II cl.* – Off. semifestivum. – Ad MAT. 3 Noct. – Ad † LAUDES ant. pr., pss. de dom., comm. Oct. Nativ. – Ad HORAS ant. et pss. de feria.

O.C. MISSA pr., *Gloria, comm. Oct. Nativ., Credo*, praef. et *Communic.* de Nativ.

Ad VESPERAS ant. et pss. de Nativ., a cap. de S. Ioanne, comm. seq. dom. (ant. *Dum medium, V̄ Verbum*, or. *Omnipotens sempiterna*), sine comm. Oct. – Compl. de dom.

28. Alb. DOM. INFRA OCTAVAM NATIV. DOMINI, *II cl.* – Ad MAT. invit., hymnus, 9 ant. et 9 ✠ pss. cum ultimo V̄ de festo Nativ., Ll. 1 (cum suo R̄) et 2 (= 2 et 3 cum 3 R̄) sumuntur e I Noct. diei Nativit., 3 (= L. 7) de homilia, *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. de Nativit., pss. de dom., comm. Ss. Innocentium Mm., sine comm. Oct. – Ad HORAS ant. et pss. de dom. – Ad Primam pss. 117, 118¹, 118².

O.C. MISSA pr., *Gloria*, comm. Ss. Innocentium, sine comm. Oct., *Credo*, praef. et *Communic.* de Nativ.

Ad VESPERAS ant. et pss. de Nativ., a cap. in pr., nulla comm. – *Alb.*

Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.

29. Alb. Feria II. DE DIE V INFRA OCTAVAM NATIV. DOMINI, *II cl.* – Off. semifestivum. – Ad MAT. invit., hymnus, 9 ant. et 9 pss. cum ultimo V̄ de festo Nativ., Ll. de Scr. occ. cum suis R̄R̄ (ad 2 add. *Gloria*), *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. de Nativ., pss. de dom., comm. S. Thomae E. M. – Ad HORAS ant. et pss. de feria, rel. ut in festo Nativ.

O.C. MISSA *Puer natus* de diebus infra octavam, *Gloria*, comm. S. Thomae, *Credo*, praefat. et *Communic.* de Nativ.

VESPERAE de Nativ., nulla comm. – Compl. de dom.

30. Alb. Feria III. DE DIE VI INFRA OCTAVAM NATIV. DOMINI, *II cl.* – Off. semifestivum. – Ad MAT. invit., hymnus, 9 ant. et 9 pss. cum ultimo V̄ de festo Nativ., Ll. de Scr. occ. cum suis R̄R̄ (ad 2 add. *Gloria*), *Te Deum*. – Ad LAUDES ant. de Nativ., pss. de dom. – Ad HORAS ant. et pss. de feria, rel. ut in festo Nativ.

O.C. MISSA *Puer natus* de diebus infra octavam, *Gloria, Credo*, praefat. et *Communic.* de Nativ.

VESPERAE de Nativ., nulla comm. – Compl. de dom.

31. *Alb.* Feria IV. DE DIE VII INFRA OCTAVAM NATIV. DOMINI, *II cl.* – Off. semifestivum. – Ad MAT. invit., hymnus, 9 ant. et 9 pss. cum ultimo \bar{V} de festo Nativ., Ll. de Scr. occ. cum suis $\bar{R}\bar{R}$ (ad 2 add. *Gloria*), *Te Deum.* – Ad LAUDES ant. de Nativ., pss. de dom., comm. S. Silvestri Pp. C. (*Gregem*). – Ad HORAS ant. et pss. de feria, rel. ut in festo Nativ.

O.C. MISSA *Puer natus* de diebus infra octavam, *Gloria*, comm. S. Silvestri (*Gregem*), *Credo*, praefat. et *Communic.* de Nativ.

I VESPERAE de seq., Off. festivum pr., nulla comm. – Compl. de dom. – *Alb.*

Hodie et per totum annum 2009 Luna in Martyrologio pronuntiatur sub littera c minuscula.

APPENDIX PRO MISSIONIBUS

OCTOBER

2. Feria V ... I VESPERAE de seq., Off. festivum, sine comm. – Compl. de dom. – *Alb.*

3. *Alb.* Feria VI. **S. TERESIAE A IESU INFANTE VIRG., Patronae principalis omnium Missionum, I cl.** – Off. festivum ut in Comm. et in pr. – Ll. 1 N. *De virginibus* de Comm. cum suis R̄R̄.

O.C. MISSA pr., *Gloria, Credo*, praef. comm.

Ad II VESPERAS ant. et pss. de Comm. – Compl. de dom.

Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.

DECEMBER

2. Feria III ... I VESPERAE de seq., Off. festivum, comm. feriae tantum. – Compl. de dom. – *Alb.*

3. *Alb.* Feria IV. **S. FRANCISCI XAVERII C., Patroni principalis omnium Missionum, I cl.** – Off. festivum ut in Comm. et in pr. – Ad LAUDES comm. feriae.

O.C. MISSA pr., *Gloria, comm. feriae, Credo*, praef. comm.

Ad VESPERAS ant. et pss. de Comm., comm. feriae. – Compl. de dom.

Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.

APPENDIX PRO ITALIA

APRILIS

29. Feria III Rogationum ... I VESPERAE de seq., Off. festum, sine comm. – Compl. de dom. – *Alb.*

In **Martyr.** 1° loco: *Vigilia Ascensionis D. N. I. C.* – 2° loco: *Romae Litaniae minores ad sanctum Petrum.* – 3° loco: *Sanctae Catharinae Senensis Virginis, etc.*

De Vigilia Ascensionis nihil fit.

30. *Alb. Feria IV Rogationum.* – **S. CATHARINAE SENENSIS VIRG., Patronae principalis** † **Italiae, I cl.** – Off. festum ut in Comm. et in pr.¹

O.C. MISSA *Dilexisti, Gloria, or. pr., Credo, praef. pasch.*

Ad II VESPERAS ant. et pss. de Comm., comm. seq. Ascensionis. – Compl. de dom.

Hodie ubi fit processio dicitur Missa de festo S. Catharinae, ut supra, cum comm. de Rogationibus (sub unica concl.). – In Missa quae sequitur processionem omittitur ps. *Iudica* et confessio cum or. *Aufer a nobis* et *Oramus te, Domine* (RM, n. 424 e).

Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali; sed in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, si fit processio, prohibetur etiam Missa exsequialis.

In **Martyr.** 1° loco: *In Monte Oliveti Ascensio D. N. I. C.* – 2° loco: *Solemnitas sancti Ioseph, Sponsi B. M. V., Confessoris, opificum Patroni. Ipsius autem Officium hoc anno fiet sequenti die.*

Cras (1^a feria V mensis) prohibetur Missa votiva D. N. I. C. summi et aeterni Sacerdotis.

Officium S. Ioseph Opificis transfertur in diem 2 maii.

OCTOBER

3. Feria VI ... I VESPERAE de seq., Off. festum, sine comm. – Compl. de dom. – *Alb.*

Cras (1° Sabb. mensis) prohibetur Missa votiva Immaculati Cordis B. M. V.

4. *Alb. Sabb. S. FRANCISCI ASSISIENSIS C., Patroni princ. Italiae, I cl.* – Off. festum ut † in Comm. et in pr.² – Ll. 1 N. *Iustus si morte* de Comm. Conf. non Pont. 2° loco, Ll. 3 N. *Confiteor tibi* de Comm. Abb. 2° loco.

O.C. MISSA pr. ut in Missali hoc die, *Gloria, Credo, praef. comm.*

Ad II VESPERAE ant. et pss. de Comm., comm. seq. dom. (*ad Magn. ant. Adaperiat, or. pr.*) – Compl. de dom.

Hodie prohibentur Missae defunctorum excepta exsequiali.

¹ Cfr. pag. 163.

² Cfr. pag. 164.

PRECES
IN QUIBUSDAM ANNI LITURGICI DIEBUS
RECITANDAE

I

**Hymnus coram SS. Sacramento exposito recitandus
in novemdiali supplicatione ad Spiritum Sanctum¹**

¶ *Prima strophæ sequentis hymni dicitur flexis genibus.*

Veni, Creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supérna grátia,
Quæ tu creásti pectora.

Qui díceris Paráclitus,
Altíssimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritális únctio.

Tu septifórmis múnere,
Dígitus patrænæ dexteræ,
Tu rite promíssum Patris,
Sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen sénsibus:
Infúnde amórem córdibus:

Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pépeti.

Hostem repéllas lóngius,
Pacémque dones prótinus:
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.

Per te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Fílium,
Teque utriúsque Spíritum
Credámus omni témpore.

Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.

℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus

Deus, qui (* hodiérna die) corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere; et de eius semper consolatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

* *Verba hodiérna die dicuntur tantum in festum Pentecostes (a primis Vesperis) et per totam octavam eiusdem.*

¹ Cantantes hymnos stant, etiam coram SS. Sacramento solemniter exposito (Decr. 4224), exceptis strophis quae requirunt adgeniculationem.

II

Actus reparationis ad Sacratissimum Cor Iesu

Iesu dulcissime, cuius effusa in homines caritas, tanta oblivione, negligentia, contemptione, ingratusse rependitur, en nos, ante altaria tua¹ provoluti, tam nefariam hominum socordiam iniuriasque, quibus undique amantissimum Cor tuum afficitur, peculiari honore resarcire contendimus.

Attamen memores tantae nos quoque indignitatis non expertes aliquando fuisse, indeque vehementissimo dolore commoti, tuam in primis misericordiam nobis imploramus, paratis, voluntaria expiatione compensare flagitia non modo quae ipsi patravimus, sed etiam illorum, qui, longe a salutis via aberrantes, vel te pastorem ducemque sectari detractant, in sua infidelitate obstinati, vel, baptismatis promissa conculcantes, suavissimum tuae legis iugum excusserunt.

Quae deploranda crimina, cum universa expiare contendimus, tum nobis singula resarcienda proponimus: vitae cultusque immodestiam atque turpitudines, tot corruptelae pedicas innocentium animis instructas, dies festos violatos, execranda in Te tuosque Sanctos iactata maledicta atque in tuum Vicarium ordinemque sacerdotalem convicia irrogata, ipsum denique amoris divini Sacramentum vel neglectum vel horrendis sacrilegiis profanatum, publica postremo nationum delicta, quae Ecclesiae a Te instituta iuribus magisterioque reluctantur.

Quae utinam crimina sanguine ipsi nostro eluere possemus! Interea ad violatum divinum honorem resarciendum, quam Tu olim Patri in Cruce satisfactionem obtulisti quamque cotidie in altaribus renovare pergis, hanc eandem nos tibi praestamus, cum Virginis Matris, omnium Sanctorum, piorum quoque fidelium expiationibus coniunctam, ex animo spondentes, cum praeterita nostra aliorumque peccata ac tanti amoris incuriam firma fide, candidis vitae moribus, perfecta legis evangelicae, caritatis potissimum, observantia, quantum in nobis erit, gratia tua favente, nos esse compensaturos, tum iniurias tibi inferendas pro viribus prohibuituros, et quam plurimos potuerimus ad tui sequelam convocaturos. Excipias, quaesumus, benignissime Iesu, beata Virgine Maria Reparatrice intercedente, voluntarium huius expiationis obsequium nosque in officio tuoque servitio fidissimos ad mortem usque velis, magno illo perseverantiae munere, continere, ut ad illam tandem patriam perveniamus omnes, ubi Tu cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Atto di riparazione al Sacratissimo Cuore di Gesù

Gesù dolcissimo, il cui immenso amore per gli uomini viene con tanta ingratitudine ripagato di oblio, di trascuratezza, di disprezzo, ecco che noi, prostrati dinanzi ai vostri altari², intendiamo riparare con particolari attestazioni di onore una così indegna freddezza e le ingiurie con le quali da ogni parte viene ferito dagli uomini l'amantissimo vostro Cuore.

Ricordevoli però che noi pure altre volte ci macchiammo di tanta indegnità, e provandone vivissimo dolore, imploriamo anzitutto per noi la vostra misericordia, pronti a riparare con volontaria espiazione, non solo i peccati commessi da noi, ma anche quelli di coloro che, errando lontano dalla via della salute, o ricusano di seguire Voi come pastore e guida ostinandosi nella loro infedeltà, o calpestando le promesse del Battesimo hanno scosso il soavissimo giogo della vostra legge.

E mentre intendiamo espiaire tutto il cumulo di sì deplorabili delitti, ci proponiamo di ripararli ciascuno in particolare: l'immodestia e le brutture della vita e dell'abbigliamento, le tante insidie tese dalla corruzione alle anime innocenti, la profanazione dei giorni festivi, le ingiurie esecrande

¹ *Extra ecclesiam vel oratorium, loco altaria tua, dicatur conspectum tuum.*

² *Fuori chiesa od oratorio, in luogo di ai vostri altari, si dica al vostro cospetto.*

scagliate contro Voi e i vostri Santi, gli insulti lanciati contro il vostro Vicario e l'ordine sacerdotale, le negligenze e gli orribili sacrilegi ond'è profanato lo stesso Sacramento dell'amore divino, e in fine le colpe pubbliche delle nazioni che osteggiano i diritti e il magistero della Chiesa da Voi fondata.

Ed oh, potessimo noi lavare col nostro sangue questi affronti! Intanto, come riparazione dell'onore divino conculcato, noi Vi presentiamo – accompagnandola con le espiazioni della Vergine vostra Madre, di tutti i Santi e delle anime pie, – quella soddisfazione che Voi stesso un giorno offriste sulla croce al Padre e che ogni giorno rinnovate sugli altari; promettendo con tutto il cuore di voler riparare, per quanto sarà in noi e con l'aiuto della vostra grazia, i peccati commessi da noi e dagli altri e l'indifferenza verso sì grande amore, con la fermezza della fede, l'innocenza della vita, la osservanza perfetta della legge evangelica, specialmente della carità, e d'impedire inoltre, con tutte le nostre forze, le ingiurie contro di Voi e di attrarre quanti più potremo alla vostra sequela. Accogliete, ve ne preghiamo, o benignissimo Gesù, per intercessione della B. V. Maria Riparatrice, questo volontario ossequio di riparazione e vogliate conservarci fedelissimi nella vostra ubbidienza fino alla morte col gran dono della perseveranza, mercé il quale possiamo tutti un giorno pervenire a quella patria, dove Voi col Padre e con lo Spirito Santo vivete e regnate Dio per tutti i secoli dei secoli. Così sia.

III

**Atto di consacrazione del genere umano
al Cuore Immacolato di Maria SS.**

Regina del santissimo Rosario, ausilio dei cristiani, rifugio del genere umano, vincitrice di tutte le battaglie di Dio, supplici ci prostriamo al vostro trono, sicuri di impetrare misericordia e di ricevere grazie e opportuno aiuto nelle presenti calamità, non per i nostri meriti, dei quali non presumiamo, ma unicamente per l'immensa bontà del vostro materno Cuore.

A Voi, al vostro Cuore Immacolato, in questa ora grave della storia umana, ci affidiamo e ci consacrriamo, non solo con tutta la santa Chiesa, corpo mistico del vostro Gesù, che soffre in tante parti e in tanti modi è tribolata e perseguitata, ma anche con tutto il mondo straziato da discordie, agitato dall'odio, vittima della propria iniquità.

Vi commuovano tante rovine materiali e morali, tanti dolori, tante angosce, tante anime torturate, tante in pericolo di perdersi eternamente. Voi, o Madre di misericordia, impetrateci da Dio la riconciliazione cristiana dei popoli, ed anzitutto otteneteci quelle grazie che possono in un istante convertire i cuori umani, quelle grazie che preparano ed assicurano questa sospirata pacificazione.

Regina della pace, pregate per noi e date al mondo la pace nella verità, nella giustizia, nella carità di Cristo. Dategli soprattutto la pace delle anime, affinché nella tranquillità dell'ordine si dilati il regno di Dio. Accordate la vostra protezione agli infedeli e a quanti giacciono nelle ombre della morte; fate che sorga per loro il Sole della verità e possano, insieme con noi, innanzi all'unico Salvatore del mondo, ripetere: Gloria a Dio nel più alto dei cieli e pace in terra agli uomini di buona volontà!

Ai popoli separati per l'errore o per la discordia e segnatamente a coloro che professano per Voi singolare devozione, date la pace e riconduceteli all'unico ovile di Cristo, sotto l'unico e vero Pastore.

Ottenete libertà completa alla Chiesa santa di Dio; difendetela dai suoi nemici; arrestate il diluvio dilagante dell'immoralità; suscitare nei fedeli l'amore alla purezza, la pratica della vita cristiana e lo zelo apostolico, affinché il popolo di quelli che servono Dio aumenti in meriti e in numero. Finalmente, come al Cuore del vostro Gesù furono consacrati la Chiesa e tutto il genere umano, perché, riponendo in Lui ogni speranza, Egli fosse per loro fonte inesauribile di vittoria e di salvezza, così parimenti noi in perpetuo ci consacrriamo anche a Voi, al vostro Cuore Immacolato, o Madre nostra e Regina del mondo, affinché il vostro amore e patrocinio affrettino il trionfo del regno di Dio e tutte le genti, pacificate con Dio e tra loro, vi proclamino beata, e con Voi intonino, da un'estremità all'altra della terra, l'eterno «Magnificat» di gloria, amore, riconoscenza al Cuore di Gesù, nel quale solo possono trovare la verità, la vita e la pace.

IV

Oratio in honorem Sancti Ioseph

Ad te, beáte Ioseph, in tribulatióne nostra confúgimus, atque, imploráto Sponsæ tuæ sanctíssimæ auxílio, patrocínium quoque tuum fidénte expóscimus. Per eam, quæsumus, quæ te cum immaculáta Vírgine Dei Genetríce coniúnxit, caritátem, perque patérnum, quo púerum Iesum ampléxus es, amórem, súpplícēs deprecámur, ut ad hereditátem, quam Iesus Christus acquisívit sángine suo, benígnius respícias, ac necessitatibus nostris tua virtúte et ope succúrras.

Tuére, o custos providentíssime divínæ Famíliæ, Iesu Christi sóbolem eléctam; próhibe a nobis, amantíssime Pater, omnem errórum ac corruptelárum luem; propítius nobis, sospitátor noster fortíssime, in hoc cum potestáte tenebrárum certámine e cælo adésto; et sicut olim púerum Iesum e summo eripuísti vitæ discrímine, ita nunc Ecclésiám sanctam Dei ab hostilibus insídiis atque ab omni adversitaté defénde, nosque síngulos perpétuo tege patrocínio, ut ad tui exémpLAR et ope tua suffúlti, sancte vívere, pie émorí, sempiternámque in cælis beatitúdinem ássequi possímus. Amen.

Orazione in onore di San Giuseppe

Ate, o beato Giuseppe, stretti dalla tribolazione ricorriamo, e fiduciosi invochiamo il tuo patrocínio, dopo quello della tua santissima Sposa. Deh! per quel sacro vincolo di carità che ti strinse alla Immacolata Vergine Madre di Dio, e per l'amore paterno che portasti al fanciullo Gesù, riguarda, te ne preghiamo, con occhio benigno la cara eredità, che Gesù Cristo acquistò col suo sangue, e col tuo potere ed aiuto sovviene ai nostri bisogni.

Proteggi, o provvido Custode della divina Famiglia, l'eletta prole di Gesù Cristo; cessa da noi, o Padre amantissimo, cotesta peste di errori e di vizi che ammorba il mondo; ci assisti propizio dal cielo in questa lotta col potere delle tenebre, o nostro fortissimo Protettore; e come un tempo campasti dalla morte la minacciata vita del pargoletto Gesù, così ora difendi la santa Chiesa di Dio dalle ostili insidie e da ogni avversità; e stendi ognora sopra ciascun di noi il tuo patrocínio, acciocché a tuo esempio, e mercé il tuo soccorso, possiamo virtuosamente vivere, piamente morire, e conseguire l'eterna beatitudine in cielo. E così sia.

V

Actus dedicationis humani generis Iesu Christo Regi

Iesu dulcissime, Redemptor humani generis, respice nos ad altare¹ tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem tibi coniuncti firmiter esse possimus, en hodie sacratissimo Cordi tuo se quisque nostrum sponte dedicat. Te quidem multi novere numquam; te, spretis mandatis tuis, multi repudiaverunt. Misere utrorumque, benignissime Iesu, atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum qui nullo tempore discessere a te, sed etiam prodigorum filiorum qui te reliquerunt: fac ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error decipit, aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Large, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; large cunctis gentibus tranquillitatem ordinis; perfice, ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi gloria et honor in saecula. Amen.

Atto di consacrazione del genere umano a Cristo Re

O Gesù dolcissimo, o Redentore del genere umano, riguardate a noi umilmente prostesi dinanzi al vostro altare². Noi siamo vostri, e vostri vogliamo essere; e per poter vivere a Voi più strettamente congiunti, ecco che ognuno di noi oggi spontaneamente si consacra al vostro Sacratissimo Cuore. Molti purtroppo non Vi conobbero mai; molti, disprezzando i vostri comandamenti, Vi ripudiarono. O benignissimo Gesù, abbiate misericordia e degli uni e degli altri; e tutti quanti attirare al vostro Cuore santissimo. O Signore, siate il Re non solo de' fedeli che non si allontanarono mai da Voi, ma anche di quei figli prodighi che Vi abbandonarono; fate che questi quanto prima ritornino alla casa paterna, per non morire di miseria e di fame. Siate il Re di coloro che vivono nell'inganno dell'errore o per discordia da Voi separati; richiamateli al porto della verità e all'unità della fede, affinché in breve si faccia un solo ovile sotto un solo Pastore. Largite, o Signore, incolumità e libertà sicura alla vostra Chiesa; largite a tutti i popoli la tranquillità dell'ordine; fate che da un capo all'altro della terra risuoni quest'unica voce: Sia lode a quel Cuore divino da cui venne la nostra salute; a Lui si canti gloria e onore nei secoli. Così sia.

¹ *Extra ecclesiam vel oratorium, loco ad altare, dicatur ante conspectum.*

² *Fuori chiesa od oratorio, in luogo di altare, si dica cospetto.*

OFFICIA PROPRIA TOTIUS ITALIAE

Die 30 aprilis

S. CATHARINÆ SENENSIS

Virginis

Patronæ principalis Italiae

I classis

Omnia de Communi Virginum, præter ea quæ hic habentur propria.

AD I VESPERAS

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúia.
℞. Inténde, prospere procéde, et regna, allelúia.

Ad Magnif. ant. Veni, Sponsa Christi, *
accipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúia.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui
beátæ Catharínæ Vírginis tuæ natalícia
cólimus; et ánnua solemnitáte lætémur, et
tantæ virtútis proficiámus exémplo. Per Dó-
minum nostrum.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

*In I Nocturno, lectiones De virgínibus de Communi
Virginum I° loco.*

IN II NOCTURNO

Pater. – **Absol.** Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Catharína, virgo Senénsis, piis orta
paréntibus, beáti Domínici hábitum,
quem soróres de Pæniténtia gestant,
impetrávit. Summa eius fuit abstinéntia et ad-
mirábilis vitæ austéritas. Invénta est ali-
quándo a die cínerum usque ad Ascensiónem
Dómini ieiúnium perduxisse, sola Eucharistíæ
communióne conténta. Luctabátur quam fre-
quentíssime cum dæmónibus, multisque illó-

rum moléstis vexabátur; æstuábat fébribus,
nec aliórum morbórum cruciátu carébat.
Magnum et sanctum erat Catharínæ nomen, et
úndique ad eam ægróti et malígnis vexáti spi-
rítibus deducebántur. Languóribus et fébribus
in Christi nómine imperábat, et dæmones co-
gébat ab obséssis abíre corpóribus.

℞. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et
iustítiam: * Et dedúcet te mirábiliter dextera
tua, allelúia. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua
inténde, prospere procéde, et regna. – Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Cum Pisis immorarétur, die domínico, re-
fécta cibo cælésti et in éxtasim rapta, vi-
dit Dóminum crucifíxum magno cum lúmine
adveniéntem, et ex eius vúlnerum cicatrícibus
quinque rádios ad quinque loca sui córporis
descendéntes; ideóque, mystérium advértens,
Dóminum precáta ne cicatrícibus apparérent,
contínuo rádii colórem sanguíneum mutavé-
runt in spléndidum, et in formam puræ lucis
pervenérunt ad manus, pedes et cor eius; ac
tantus erat dolor, quem sensibíliter patiebátur,
ut nisi Deus minuísset, brevi se créderet mor-
ritúram. Hanc ítaque grátiam amantíssimus
Dóminus nova grátia cumulávit, ut sentíret
dolórem illápsa vi vúlnerum, et cruénta signa
non apparérent. Quod ita contigísse cum Dei
fámula confessário suo Raymúndo retulísset,
ut óculis étiam repræsentarétur, rádios in ima-
gínibus beátæ Catharínæ ad dicta quinque
loca pertingéntes, pia fidélium cura pictis
colóribus expréssit.

℞. Dilexísti iustítiam, et odísti iniquitátem:
* Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo
lætítiæ, allelúia. ℣. Propter veritátem, et
mansuetúdinem, et iustítiam. – Proptérea.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Doctrína eius infúsa, non acquisíta fuit;
sacrárum litterárum professóribus diffi-

cíllimas de divinitáte quæstiões proponéntibus respóndit. Nemo ad eam accéssit, qui non mélior abierit: multa exstínxit ódia, et mortáles sedávit inimicítias. Pro pace Florentinórum, qui cum Ecclésia dissidébant et interdícito ecclesiástico suppositi erant, Aveniõnem ad Gregórium undécimum Pontíficem máximum profécta est. Cui étiam votum eius de peténda Urbe, soli Deo notum, sese divínus cognóvisse monstrávit: deliberávitque Póntifex, ea étiam suadénte, ad Sedem suam Románam personáliter accédere; quod et fecit. Eídem Gregório et Urbáno sexto eius successóri acceptíssima fuit, ádeo ut legatiõnibus eórum funderétur. Dénique post innúmera virtútum insígnia, dono prophetiæ et plúribus clara miráculis, anno ætátis suæ tértio círciter et trigésimo, migrávit ad Sponsum. Quam Pius secúndus Póntifex máximus sanctárum Vírginum número adscrípsit. Pius vero Papa duodécimus, una cum sancto Francíscio Assisiénsi, principálem Itáliæ Patrónam declarávit atque constítuit.

℞. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ eius * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatiõe, allelúia. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna. – Afferéntur tibi. – Glória Patri. – Afferéntur tibi.

In III Nocturno homilia in Evangelium Símile erit regnum, de Communi Virginum 1° loco.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia. ℞. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

Ad Bened. ant. Símile est regnum cælórum * hómīni negotiátōri quærēnti bonas margarítas: invēnta una pretiōsa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúia.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beátæ Catharínæ Vírginis tuæ natalícia cólimus; et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ virtútis proficiámus exémplo. Per Dóminum nostrum.

Ad Horas minores psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD II VESPERAS

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia. ℞. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

Ad Magnif. ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúia.

Et fit commemoratio sequentis (S. Ioseph Opificis, Sponsi B. M. V.) [Hoc anno, loco comm. S. Ioseph Opificis, fit commemoratio Ascensionis Domini].

Ant. Christus Dóminus fabri fílius putári dignátus est, allelúia.

℣. Solémnitas est hódie sancti Ioseph, allelúia. ℞. Qui mánibus suis Fílio Dei ministrávit, allelúia.

Oratio

Rerum cónditor Deus, qui legem labóris Rhumáno géneri statuísti: concéde propítius; ut, sancti Ioseph exémplo et patrocínio, ópera perficiámus quæ præcipis, et præmia consequámur quæ promíttis. Per Dóminum.

Completorium de dominica.

Die 4 octobris

S. FRANCISCI ASSISIENSIS

Confessoris

Patroni principalis Italiae

I classis

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea quæ hic habentur propria.

AD I VESPERAS

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℞. Stulam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

Deus, qui Ecclésiám tuam beáti Francíscii méritis fœtu novæ prolis amplíficas: tríbue nobis; ex eius imitatiõe, terréna despícere, et cæléstium donórum semper participatiõe gaudére. Per Dóminum nostrum.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

In I Nocturno, lectiones Iustus si morte de Communi Conf. non Pont. 2° loco.

IN II NOCTURNO

Pater. – **Absol.** Ipsius pietas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Franciscus, Assisii in Umbria natus, patris exemplum secutus, a prima ætate mercaturam fecit. Qui quodam die pauperem, pro Christi amore flagitantem pecuniam, cum præter consuetudinem repulisset, repente eo facto commotus, large ei misericordiam impertivit; et ex eo die Deo promisit se nemini unquam poscenti eleemosynam negaturum. Cum vero post in gravem morbum incidisset, ex eo aliquando confirmatus, coepit ardentius colere officia caritatis; qua in exercitatione tantum profecit, ut, evangelicæ perfectionis cupidus, quidquid haberet, pauperibus largiretur. Quod ferens iniquus pater, eum ad Assisinate episcopum duxit, ut coram illo bonis cederet paternis; qui, reiectis etiam vestibus, patri concessit omnia, illud subiungens, sibi in posterum maiorem facultatem fore dicendi: Pater noster, qui es in cælis.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Iustum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. – Et.

Bened. Christus perpetuæ.

Lectio v

Cum autem illud ex Evangelio audisset: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta; sibi eam regulam servandam proposuit. Itaque, detractis calceis et una contentus tunica, cum duodecim socios adhibuisset, ordinem Minorum instituit. Quare Romam venit anno salutis millésimo ducentésimo nono, ut sui ordinis regula ab apostolica Sede confirmaretur. Quem cum accedentem ad se summus Pontifex Innocentius tertius reiecisset; quod in somnis postea sibi ille, quem repulerat, collabentem Lateranensem basilicam suis humeris sustinere visus esset, conquisitum accersi ius-

sit, benignèque accipiens, omnem eius institutorum rationem confirmavit. Franciscus igitur, dimissis in omnes orbis terræ partes fratribus ad predicandum Christi Evangelium, ipse cupiens sibi aliquam dari martyrii occasionem, navigavit in Syriam; ubi, a rege Soldano liberalissime tractatus, cum nihil proficeret, rediit in Italiam.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. – Et.

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio vi

Multis igitur extructis suæ familiæ domiciliis, se in solitudinem montis Alverni contulit; ubi quadraginta dierum, propter honorem sancti Michaelis Archangeli, ieiunio inchoato, festo die Exaltationis sanctæ Crucis, ei Séraphim crucifixi effigiem inter alas continens apparuit; qui eius et manibus, et pedibus, et lateri vestigia clavorum impressit. Quæ sanctus Bonaventura, cum Alexandri quarti summi Pontificis prædicationi interesset, narrasse Pontificem a se visa esse, litteris commendavit. His insignibus summi in eum Christi amoris, maximam habebat omnium admirationem. Ac biennio post, graviter ægrôtans, deferri voluit in ecclesiam sanctæ Mariæ Angelorum; ut, ubi gratiæ spiritum a Deo acciperat, ibi spiritum vitæ redderet. Eo in loco fratres ad paupertatem ac patientiam, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem servandam cohortatus, psalmum illum pronuntians, Voce mea ad Dominum clamavi; in eo versiculo, Me exspectant iusti, donec retribuas mihi, efflavit animam quarto nonas octobris. Quem, miraculis clarum, Gregorius nonus Pontifex maximus in Sanctorum numerum adscripsit. Pius vero Papa duodécimus, una cum sancta Catharina Senensi, principalem Italiæ Patronum declaravit atque constituit.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingerere in requiem meam: * Quia te vidi iustum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. – Quia. – Glória Patri. – Quia.

In III Nocturno homilia in Evangelium Confiteor tibi, de Communi Abbatum 2° loco.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Francísci méritis foetu novæ prolis amplílicas: tribue nobis; ex eius imitatióne, terréna despícere, et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

Ad Horas minores psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD II VESPERAS

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Completorium de dominica.

